



Pd. 42.

V E T U S  
CIRCA JEJUNIUM  
ECCLESIAE DISCIPLINA  
DISSERTATIONE  
HISTORICO - JURIDICA

A

PARADOXIS RECENTIORIS CUJUSDAM JCTI  
COMMENTIS VINDICATA.

Q. U A M

UNA CUM SELECTIS EX UNIVERSO JURE  
ECCLESIASTICO POSITIONIBUS

P R Ä S I D E

F. POLYCHRONIO GASSMANN,  
ORD. FFm. MIN. S. FRANC. RECOLLECT. S. SCRIPTURÆ

ET SS. CANONUM LECTORE

P U B L I C E P R O P U G N A B U N T

RELIGIOSI EJUSDEM ORDINIS SACERDOTES,

F. JUNIPERUS ARNZ.

F. LUCIANUS LIMPERICH.

NEC NON PRÆNOBILES, ORNATISSIMI, ac PERERUDITI

D. GERARDUS KLEIN, Porcetanus.

D. SERVATIUS HUNGS, Aquisgranensis.

JURISECCLESTIASTICIPUBLICI, & SS. CANONUM AUDITORES.

AQUISGRANI IN AÜLA ACADEMICA GYMNASII MARIANI

Horis à Meridie Confuetis

ANNO MDCCCLXXXII. DIE XI. SEPTEMBRIS.

Coloniæ, typis Joannis Josephi Rüttgers sub Semilunio propè PP. Prædicatores,



S U T E V

## APPROBATIO.

HÆc Dissertatio Juridico-Historica utiliter pro-  
dibit in Lucem ad obstruendum os loquen-  
tium iniqua; illique adjunctæ Conclusiones Ca-  
nonico-Sacræ nihil Fidei bonisve moribus disso-  
nans exprimunt. Datum Leodii 30. Augusti 1782.

F. NIC. VELARS, EXAMINATOR SYND.  
ET LIBRORUM CENSOR.

## PERMISSIO.

Permittimus Impressionem. Leodii hâc 31mâ  
Augusti 1782.

H. COMES DE ROUGRAVE VIC. GENERALIS.



## PRO E M I U M.

BELLA, undique bella. Cogitur miles: strepunt classica: instruitur acies: ignivomæ boant naves: MARS lævit, eduntur strages, cumulantur funera, expugnantur Castra, inaccessa quatuntur Saxa: ad Solis utrumque cubile, viætricia figit Signa Martius Heros. Atque inter cruentos hosce armorum strepitus, & Sago veltiri amat literata PALLAS. Sudant præla, & novos indies prodierunt partus, quæs vel Ecclesiasticorum carpuntur mores & instituta, vel Pontificia sine fine laceratur, ac deprimitur Authoritas. Sanam Doctrinam non sustinent, ad fabulas conversi plures. Novimus abundè id omnes, quot quot Sæculi hujus, maximo ejus probro, malignitatem novimus. Loquuntur id Piorum desideria, dum elapsorum Temporum Candori, aviteque pietati flebilem inter Lacrymas panegyryn texunt. Sola REFORMATIÆ ars est, quam sibi pañim omnes vindicant. Hanc & Garrula anus, hanc delirii senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi hodieum præsumunt. Ast cum stultè soleant plerique exire in prælium, nequeunt esse de Semine Virorum illorum, per quos fiat Salus in Ifrael. Et HANNIBAL dissecut alpes, ut inglorius remearet in Patriam. Reformandi studium novissimè etiam R. P. PHILIPPUM HEDDERICH Ord. Min. S. Franc. Conventual. Presbyterum, & in Eleitorali Academiâ Bonnensi Ss. Canonum Professorem, quem summi facio, invasit. Inter alia enim, quæ ad diem V. Septembbris anni ultimò lapsi, ex Jure publico universalis, orbi exposuit asserta, ardorem reformandi aperiè præ se ferunt, & attentionem præcipue merentur illa, quæ gravi Tono Magisterii circa primævam jejuniæ Ecclesiastici Disciplinam, ad illius Terminos reducturus modernam, determinat.

Paucissimi, scribit Positione LVII., dies jejuniæ inter primos fidèles erant Confuetudinis universalis. Jejunium autem Confuetudinarium nullatenus in eis aëlli arcfacti (ne libera circa naturam pescis detur errandi facultas, vernaculo Sermonc exprimit: Stetisch) aliorumque pescium consuebat, sed in rigorissimâ abstinentiâ ab omni Cibo & Potu atque unicâ de die refectione, & quidem sub Vesperum sumendâ. Quid porò, tametsi potestas statuendi dies jejuniæ ex motivo Religionis, pertineat ad ius sacrorum, hic possint Domini territoriales, positionibus sequentibus uberioris explicat.

Quanquam, ait Thesi LVIII. potestas determinandi jejuniæ dies quod ad abstinentiam ab omni Cibo ex motivo Religionis pertineat ad ius sacrorum, Domini tamen territoriales ex motivo bonum Reipublicæ conceruante Empíriorem Venditionem pescium extraneorum, ex Consequenti & Comectionem eorundem justissimè prohibent.

Quo Caso, subdit Thesi LIX., justissimè instari potest apud Episcopos, & summum Pontificem, ut jejuniū reducatur ad primos Discipline Ecclesiastice Terminos, videlicet ad unicam refectionem de die, eti in Carnibus sumendam.

Quare, Colophonem imponens discursui inquit Thesi LX., si remonstratis justissimis causis Ecclesiæ Præsulibus de permittendo Carnium eis diebus jejuniæ (principiæ,

quia milliones Numerorum pro p̄fiscib⁹ extraneis ad terras alienigenas transmittuntur, non sine gravissimo territoriorum Germaniae dispendio) nibilominus Ecclesia esset invita, non foret Hæreticus, neque Schismaticus, qui defenderet, Dominum territoriale ex Causâ bonum Republicæ concernente, permettere posse Subditis eſum Carnium, reliquo jejuno in Terminis primorum fidelium ex motivo Religionis, videlicet in una dūntaxat reſectione, etſi in Carnibus ſumendā. Haecen R. P. PHILIPPUS HEDDERICH, privilegium inerrantiae, quod animosè denegat Christi Vicario, fōrs ſibi conſecutum ratus. Sed tantum abeft, ut no- vis hiſce, qua commiſſit, Cordatorium Virorum plauſum, affenſumque, quem ab dubio anhelabat, demererit potuerit, quin juſtum potius omnium indignationem ſibi conſciverit. Incredibile dictu est, quale, ac quantum in ani- mis populi, cui ſemper ſuſpecta eſt novitas, allata Doctrina pepererit Scandalum. Verebar & ego, ne R. P. HEDDERICH nubem pro Funone obtrude- ret; nec mea me ſeffellis opinio. Jejunium quidem primorum fidelium nullate- nis ſitum fuiffe in eſu Aſelli arefacti, haud invitus permittit: illud nonnisi festinante ad Occaſum Sole, ut res habet, ſolvi potuiffe, ſpontē concedo; verū an pau- ciſſimi fuerint inter primos fideles, jejunii dies, an cætera ſubſtant, quaे liberio- ri Calamo R. P. PROFESSOR edifcerit, tam facilē largiri nequeo.

Mos ille, pro me fide jubet VINCENTIUS Lirinensis, ſemper in Ecclesiā vi- guit, ut quod quisque foret religiosior, eō promptius novellis adinventionibus contra- iret. Exemplis ejusmodi plena ſunt omnia. In Epistolā, quam de Causâ NES- TORII SIXTUS Papa Antiocheno misit Epifcopo, nibil ultrā, inquit, liecat novitatī, quia nibil addi conuenit Vetusſati. Perspicua majorum fides nullā Cenit permixtione turpetur. Omním Apostolicē. Sed & Papa CÆLESTINUS in Epis- tolā, quam Gallorum Sacerdotibus misit arguens eorum Conniventiam, quod profanas novitatis exurgere paterentur, meritò, ait, Causa nos respicit, ſi ſilencio foreamus errorem. Et inſtrā: deſinat, ſi ita res eſt, inceſſare novitas Vetusſa- tem. Quare Apostolicum illud, quo periculose ſemper novitatis velut Gladio quodam ſpirituali truncatae ſunt, in memoriam hīc revoco: O Timothee depoſitum cuſtodi devitans profanas Vocum novitates. Depoſitum eſt, quod nobis cre- ditum, non quod à nobis inventum eſt: quod accepimus, non quod excogitiavimus: res non ingenii eſt, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed pu- blicæ Traditionis, in quā quis non author eſſe debet, ſed cuſtos, non iſtitu- tor, ſed ſectator, non ducens, ſed ſequens. Aurum accepimus, aurum redda- mus: depoſitum à Patribus habemus, depoſitum cuſtodiamus. Erit gloria laus magna meæ, me in Veritatis odium duci, me non jam mihi, ſed amicæ Veritati odium peperiffe. Amicus mihi PLATO, amicus ARISTOTELES, ſed magis amica VERITAS. Ad rem.

DISSE-

# DISSERTATIONIS HISTORICO - JURIDICÆ

## C A P U T I.

De Consuetudine jejunandi à primis Christi  
Fidelibus frequentatâ.

### §. I.

**P**ostremum inter pia opera, non tenere locum, preces, atque *Jejunium*,  
junia, solum ille inficias ire præsumferit, cui illa desipiunt. *Volum opus.*  
care Coetum, sanctificare jejunium, Volupe nunquam non erat  
Hebreorum Reipublicæ. In gaudium erat, domui Jacob *Jeju-*  
*nium quarti mensis*, & *Jejunium quinti*, & *Jejunium septimi*, &  
*Jejunium decimi*. *Zach. 8. §. 19.* Daniel, posuit faciem suam ad *Do-*  
*nimum Deum suum*, *rogare & deprecari in Jejunis.* *Dan. C. 9. §. 3.*  
*Ezher corpus suum humiliavit Jejunis.* *C. 14. §. 2.* Machabei pete-  
bant à Domino misericordiam cum fletu, & *Jejunis.* *2. Mach. 13. §.*  
*12.* *Efeni*, postmodum, sub *Hircano* florentes, teste *Joseph.* *L. 2.*  
de bell. jud. *C. 12.* ab omni abstinebant Carne, solis leguminibus,  
aut polentâ, contenti. Neque sua Gentilibus plerisque, eaque miræ  
austeritatis, defuere Jejunia. *Egypti Sacerdotes*, ait *Cheremon* sto-  
cus, apud *S. Hieron.* *L. 2. adv. Jovinian.*, nedum à Carne, & Vino  
sibi temperabant, sed & pane raro vescebantur, & squando comedebant,  
*tusum pariter Hysopum*, sumebant, ut escam graviores, illius Ca-  
lore, decoquerent. Isdem, posse se, hostiis promereri Deum, ab  
ipsis jam nascentis Ecclesiæ Christianæ primordiis, *jejunantes*, & *oran-*  
*tes*, *Act. 13. §. 3.* Persuasum habuere Apostoli, ut adeo curandum  
non sit, rideri nos in hac parte, à reprobi Sensu mortalibus, quo-  
rum palato non sapient illa, quævis Vindex Dei sistitur ira, & improbae  
Carnis refrænatur licentia.

### §. II.

**C**erta sunt hæc, atque extra omnem dubitationis aleam, longè po-  
sita. Sed an frequentes, an verò rari admodum, fuerint dies *Jejunii in*  
*illi*, quævis jejunare consueverant primi Christi Fideles, res est præsen-  
tis *primitivæ Ecclesiæ.*

ris indaginis. Si R. P. HEDDERICH fidem adhibere libeat, paucissimi erant dies Jejunii, universalis tunc Confuetudine frequentati. Itane vero, tam arctis circumscribatur limitibus, aurei illius Aevi, Pietas, & Religio? Fallor, si ita sentire fas sit. Imò potius, quod usque poterit mens nostra respicere, & præterite ætatis, memoriam recolere ultimam, alia omnino, planeque diversa, deprehendere erit, Vigen-tis disciplinæ Vestigia, ac illa sunt, qua tam præfidenter determinat, antefatus thesista. Habuit certè, jam ab ortu suo, Christiana Religio, abstinentes suos, qui facile palmam præripiant Cæteris, sive númerum, spectes, sive austерitatis modum. Ut enim missos faciam Therapeutas, quorum anceps est Fides, & Conditio, eo usque Jejunii dedici erant, II. Ecclesiæ Sæculo Christiani, ut non pauci, dies omnino decem, ab omni alimento abstinenterent. Sæculo III. celebris erat, Jejunii per dies multos Continuatio, quæ Superpositio dicebatur. Hece biduo, triduove, aut etiam hebdomadâ totâ, præfertim antepaschali, perdurabat. Frequens eo tempore, erat Ascetarum numerus, qui aperto necdum deseritorum itinere, abstinentiam hanc privatum servabant domi, ex quâ nonnisi ad Martyrium exire conふeuerant. Conservis dein ad Christi fidem Imperatoribus, emicuit Sanctorum nympha Phalanx, qui illi, quod cessabat, sanguinis, aliud famis, & inediae, substituere Martyrium. Videlicet hos Palæstina, videlicet Arabia, viderunt Thebais, & Lybia, atque, quod mirum magis, frigidæ poniti, & Cappadociae Regiones, suspexere tales.

### §. III.

*Antepascha-* **A**udio: reponet his P. HEDDERICH, spontanea fuisse hæc, sanctissimum hominum Jejunia, ex arbitrio Voluntatis, non ex imperio legis suscepta. At si suâ sponte, ferebatur in hæc insolita pie-tatis opera, fidelium ardor, quid mirum, si non illicè fuerit lex posita justis? Attamen, neque hanc defuisse tenendum est. Canon certè inter Apostolicos 68., non nudum Jejunii Consilium, sed grave urget Preceptum. *Siquis sit, Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat, præterquam, si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si Laicus sit, segregetur.* Canonem hunc pseudepigraphum, Apostoliisque, quorum nomen præfert, suppositum esse, equidem me non laret; sed & hoc bene novi, esse vetustissimum. Quid quid sit, rem esse arbitror planè credibilem, si non omnino certam, antepaschale Jejunium, ipsosmet Apostolos, habuisse Authores. Cum enim Jejunium

niūm hocce, in memoriam illius à Domino nostro peracti, ab Ecclesiā observari, veteres contendant Patres, arbitrari, omnino pronum est, Religionem Magistri, primævos ejus Discipulos excolendam suscepisse, ejusque imitationis Socios, & Sequaces, cæteros post se, reliquise fideles. Profectò si vel certa orandi tempora, ab Apostolis servata, in teliquos dein fideles transierint; si solemnies Stationum dies, ex eo, quod Apostoli suo exemplo eos præscriperint, cæteri post illos, fideles habuerint Religiosos, velut ex Tertulliano Cap. 10. de Jejun. constat, quidni & quadragesimale Jejunium, à Christo servatum, tenuerint Apostoli, illudque ab ipsis, hereditario quasi jure transcriptum fuerit ad fideles? Argumentum hoc per se validum, validius efficitur ex more, quarto deinde Sæculo, in universali Ecclesiâ obtainente, ut antepaschale Jejunium, ad imitationem Jejunii, Jesu Christi, servaretur. Hujus enim apud omnes tum temporis, omnium nationum fideles, pervagantis disciplinæ, radix & origo, cum alia nulla adsignari queat, ac reipsa designetur, ab ipsis Apostolis descendere censenda est, S. Augustino Judice L. 4. de Bapt. cont. donat. C. 24: *quod universa tenet Ecclesia, nec Concilii institutum, sed semper retentum est, non nisi Autoritate Apostolicâ traditum, rectissimè creditur.* At, obsecro, in quo Concilio istiusmodi Jejunium, primitus institutum legitur?

### §. I V.

**P**Atres certè Generalis C. Nicæni Can. 5. quadragesimalis Jejunii, tan- *Probatur*  
quām rei omnibus notissimæ, & antiquissimæ meminerunt, cum primò ex Sy-  
in ejus initium, unam ex iis Synodus indicant, quarum quot annis nodis IV.  
duas, in omnibus Christiani orbis Provinciis, celebrari jubent. Iis Seculi.  
dem plenè sensis imbuti erant, Patres C. Laodiceni Can 49, & C. Gan-  
grensis Can. 19. Ita statuentes: *siquis corum, qui continentiae student,*  
*absque necessitate corporeâ, tradita in Communione jejunia, & ab Ecclesiâ*  
*custodita, superbiendo dissolvit, Anathema sit.* Canon Laodicenus distinet.  
3. de consecrat. Cap. 8. his refertur verbis: *non oportet in Quadrage-*  
*simâ, quintâ feriâ ultimâ hebdomadâ jejunium dissolvi, & totam Qua-*  
*dragesimam inbonorari, sed per totos hos dies jejunare, & escis abstinentiæ*  
*convenientibus, id est, aridioribus, uti.* Supponunt itaque recitata Con-  
cilia, quarto, ut omnes consentiunt, Ecclesiæ Sæculo celebrata, quadra-  
gesimale jejunium, non recentis esse institutionis, sed antiquæ tradicio-  
nis, illudque sine gravis noxæ reatu, negligi haud posse. Quoniam igi-  
tur fato contigisse dicam, quod R. P. HEDDERICH Element. J. Can.  
P. 3. pag. 182 asserere aulus fuerit, *jejunium olim solummodo Confus-*  
*tudina-*

tudinariū fuisse, atque præter illum unicum Diem, quo Christus in Cœ-  
cem actus fuit, nullius jejunii publici, & solemnis extare memoriam.  
Quēs, quæso! tabulis probabit doctrinam hanc toti antiquitati incog-  
nitam, nulloque vel autoritatis, vel rationis præsidio suffultam? sol-  
dè demonstranda, non frivolè adstruenda fuisse, thesis ejusmodi Exoti-  
ca. At Beveregium, laudat h̄c P. Professor, alterius Communionis Vi-  
rum. Meā pace Beveregio, sociare potuisset, Joannem Dalleum, Samu-  
elem Basnagium, aliosque similis farinæ homines, jejunii, piorumque  
operum Oſores. Quid inde? num sic directa lis est, conjectumque  
Causæ negotium? mira res! protestantem, in Subsidium causæ sue  
vocat, recens natum, cum tamen luce meridianâ clariora sint Ss. Pa-  
trum, veterumque Scriptorum, hac de re testimonia, utpote qui tra-  
ditionibus à nobis assertae seriem, jam inde ab ipsimet Apostolis repe-  
titam, in Succendentia sœcula derivavunt. Audiamus illos.

## §. V.

*Probaturea-* **A**c primò quidem antepaschalis jejunii morem, secundo jam Eccle-  
*dem Veritas* siæ Sæculo, longè, latèque obtinuisse, *Q. Septimi Tertulliani*,  
*ex Tertul-* qui illâ tempestate floruit, Authoritate certum est. Certè, inquit alle-  
liano. || gatus Scriptor **C. 2.** de Jejun., in Evangelio illos dies Jejunis depura-  
tis, putant (Catholici) in quibus ablatus est Sponsus, & vos esse jam  
solos legitimos, abolitis legalibus, & propheticis Vetustatibus. Ieque  
de cætero differenter jejunandum, ex arbitrio, non ex imperio nove  
Disciplina, pro Temporibus, & Causis uniuscujusque. Sic & Apoſto-  
los obſervidisse, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in Commu-  
ne omnibus obeundorum Jejuniorum. Idem Tertullianus **C. 13.** Ecce,  
ait, convenio vos, & præter Pascha jejunantes, etiā illos dies, quibus  
ablatus est Sponsus... denique respondetis, hoc ex arbitrio agenda, non  
ex imperio. Diebus, quibus ablatus est Sponsus, totam à Tertulliano,  
quadragesimæ periodum designari, mihi probabilissimum est. Hoc  
enim Jejunium institutum esse eo fine, ut fideles ad paschalis Festi So-  
lemnia per Continentiam disponantur, comperta ex Patribus res est.  
Faciliè etiam Paschæ nomine, quadragesimam istam insinuat Tertullia-  
nus, ut ab altero discernat jejunio, quod Montanistæ, ad quos defe-  
cerat, ante Pentecosten obibant. Porro Tertulliani veritate, quadrage-  
simæ jejunium non ignorasse fideles, vel inde satis colligitur, quod  
Sæculo IV. ineunte, pervulgatum esset, quadragesimæ nomen, ceu  
ex Canone Nicæno V. suprà relato, discimus. Vix enim credibile est,  
morem initio IV. Sæculi latè per Ecclesiam dominantem, penitus la-  
tuif  
sive  
niu  
Rel  
Ter  
qua  
mā  
ea ,  
pas  
T  
Ser  
con  
dun  
S.  
jun  
secu  
jeju  
zon  
Ear  
C.  
Ap  
clau  
qui  
nia  
ceba  
utin  
&  
dar  
tis  
igit  
&  
“ C  
“ C  
“ C  
“ C  
“ C  
“ C  
“ C  
“ C  
“ C  
“ C

tuisse fideles II. Sæculi labentis, eò præsertim, quod aliquid originis, five exempli à Christo traheret. Si verò noverant quadragesimale jejunium Sæculi Tertullianici fideles, illud utique non spontaneâ quadam Religione, & ex arbitrio, sed ex imperio observabant. Secus namque Tertullianus C. 13. spontanea recentens Orthodoxorum jejunia, illud quadragesimale, Silentio non præteriisset. Cum ergò de quadragesimâ mentionem non faciat, profectò liquet, eum hocce jejunium inter ea, quæ ex præcepto servabantur, sub generali Adpellatione jejunii paschalisi, comprehendisse.

## §. VI.

**T**ertulliano consentit Origenes. *Habemus*, inquit, hom. 2. in levit., *Adipulans quadragesimæ dies, jejunis consecratos*. Neque dissentit S. Leo tur & alii Serm. 8. de quadrag. quod, ait ille, *in omni tempore, unumquemque Patres. convenit facere Chvijanum, id nunc sollicitius est, & devotius exequendum, ut Apostolica institutio, quadragesinta dierum jejunis impleatur*. S. Hieronymus Epist. 54 ad Marcellam, Catholice Ecclesie, circè jejunium Disciplinam exponens sic loquitur: *Nos unam quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congiuo jejunamus. Non quod per totum annum, exceptâ Pentecoste, jejunare non licet; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate, manus offerre. Eandem Patronum doctrinam confirmat S. Isidorus Hispalensis L. 6. Origin. C. 19. Quadragesima, sunt ejus Verba, in universo orbe institutione Apostolica observatur, circa Confinium Dominicæ Passionis. Agmen claudat S. Dorobenus Abbas græcus Doctrinâ 25. in lege scriptum est, inquit, *imperasse Deum filiis Israel, ut singulis annis decimas darent omnium, quæ possederunt, & id facientes, in cunctis operibus suis benedebantur. Hoc agnoscentes Apostoli sancti, consiluere commoedis, & utilitatibus animarum nostrarum, quo decimationem hanc excellentius, & magnificientius redderemus: dum scilicet diem Vite nostræ decimas daremus. Atque hoc inter se tractantes, consecrarent nobis, ex trecentis sexaginta diebus, septem bas Hebdomadas jejuniorum. Merito igitur Liturgia Suecanæ Ecclesie, Anno 1576. Stockholmiae edita, & ab Archiepiscopo Upsalensi promulgata, in præfat. Haec habet: "Constat Apostolos, corumque Discipulos, consuetudinem certis diebus jejunandi, certisque horis precandi, à majoribus acceptam obseruasse, quam summè necessariam esse, & uelissimam, tūm præcepto, tūm exemplo Christi, propriâ edicti experientiâ testati sunt. Quā ergo fronte ejusmodi Christianæ Vitæ regulas, ab Ecclesiâ**

" siâ nobis traditas , & commendatas repudiavimus ? " Præclara sanc*ta* Confessio , hominis in *Lutheri Palæstrâ* enutriti . Adductas Patrum Sententias , cum suâ conferat Doctrinâ , R. P. HEDDERICH , & obvio intuitu , nisi sponte Caecutire velit , adverteret , quantoperè hallucinetur . Profectò non postea introductum esse *jejunium quadragesimale* , ut scribit Elem. J. C. P. 3. pag. 182. , sed jam à temporibus Apostolorum ad Christi imitationem fuisse indictum , atque institutum , concordi Suffragio testantur quarti , & quinti Sæculi Patres , sparsim à me relati . Neque enim illum dierum numerum , suâ primùm ètate , fuisse jejunio consecratum , uspiam insinuant , sed retroactis Sæculis institutum supponunt , summâque Religione tribus prioribus Ecclesie Sæculis , à Christianis observatum . Quid his obmovere possit R. P. HEDDERICH , non video , nisi fortasse levioris armatura nonnulla , ex penu Joannis Dallæi , petulantis ingenii Calvinistæ , sibi depromenda existimet , quæ interim ut retundamus , loricâ non indigemus , aut casside . Progredior ad alia .

## §. VII.

*Fejunium* PRæter antepaschale jejunium , præcipuâ pariter observantiâ , ex veteri quartæ , & sextæ Feriâ , portionalia colebantur sextæ Feriæ . Jejunia , quæ & Stationum Semijejunia , Tertullianus nominat . Ita enim alloquens Catholicos L. de jejun. C. 13. " Ecce , ait , convenientio vos , & præter Pascha jejunantes , circa illos dies , quibus abstinetus est Sponsus , & Stationum Semijejunia interponentes , & vero interdum pane , & aquâ vicitantes , ut cuique visum est . " Brevia antepaschalibus vocat illa jejunia , siquidem non , ut in istis , ad Vesperam usque , sed ad nonam duntaxat produceretur abstinentia . Quapropter ab Orthodoxis reprehensi fuere , Sequaces Montani , eo quod contrâ usitatum Ecclesiæ morem , Stationes suas , extenderent usque ad Vesperam . *Æquè* , inquit Tertullianus C. 10. , Stationes nostras ut indignas , quasdam verd , & in serum constitutas , novitatis nomine accusant : *Hoc quoque munus & ex arbitrio obendum esse dicentes & non ultrâ Nonam detinendum* , de suo scilicet more utriusque Feriae jejunium , suo ævo passim invaluisse , Clemens Alexandrinus testatur . Etenim L. 7. stromat . De vero Gnostico , seu perfecto Christiano agens , ita scribit : *Novit ille ænigmata jejunii harum Feriarum quartæ inquam , & sextæ , quod dicuntur , illa quidem Mercurii , hac verò Veneris . Idem suâ fide , in exposit. fidei , Epiphanius roborat . Porro , ait , istiusmodi jejunium , toto anno in Ecclesiâ Catholica dilit genter*

genter observatur, quartā, ut dixi, sextāque Feriā, ad horam usque nonam. Christianos, quartā, & sextā Feriā jejunare consuevit, testis etiam est *S. Augustinus*, Epist. 86. ad *Casulan.*, quamvis jejunium illud nullā tunc lege esset indictum, sed à fidelibus, pro cuiusvis arbitrio, & pietate obeundum, seu passivè tantum currens, non sub lege praecepti, uti de illorum dierum Stationibus, *Tertullianus* loquitur. Sanctissimum interim, satis diebus jejunandi morem, plurimorum subin intemperatiā, aut ignaviā collapsum, Episcopi postmodū, & Concilia, latis legibus, in quibusdam Ecclesiis, confirmarunt. *S. Fulgentius Ruscae in Africā Episcopus*, statuit, ut per singulas Septimanias, omnes Clerici, ac Vīduæ, & quicunque potuissent ex Laicis, quartā, & sextā Feriā jejunarent. *C. Matisconense I. Can. 9.* decernit, ut à Feriā *S. Martini*, usque ad natale Domini, secundā, quartā, & sextā Sabbathi jejunetur. De sextā Feriā jejunio idem mandat *C. Enbamense Can. 17.*, id quod & *Nicolaus I.* in responsis ad Consulta Bulgarorum, energicē commendat.

### §. VII I.

**S**abbathi jejunium, tribus primis Ecclesiæ Sæculis, passim à *Chris. De Sabbathi Jejunio.*

tianis observatum fuisse, nullo antiquariorum monumento, satis instruimur. Prima ejusdem mentio occurrit in *C. Illiberitano*, ubi can. 26. ira statuitur: *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbathi die, jejunii Superpositionem celebremus.* Jejunii Superpositionem vocari, verosimile est, quod cum anteā quibuslibet sexitis Feriis jejunium observaretur, ad Sabbathum eriam, ista observantia, hoc Canone extensa est. Circa hoc Sabbathi jejunium, non una, eademque olim erat, Ecclesiastarum Consuetudo. Romæ, & in nonnullis aliis occidentis regionibus, jejunio consecratam fuisse, legimus. Refert *S. Augustinus Citerum*: Epist. 86. ad *Casulan.*, interrogatum à se, respondisse *Ambrosium*: quando bic (Mediolani) sum, non jejuno Sabbatho: quando Romæ sum, jejuno Sabbatho. *Ad quacunque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati Scandalum non vultis, aut facere.* *Innocentius I.* in Epist. ad *Decentium*, non negamus, inquit, sextā Feriā jejunandum, sed dicimus, & Sabbatho, hoc agendum. *Sabbatum pretermittere non debemus.* Et Romæ, ait *Socrates L. 5. H. E. C. 22.* singulis Sabbathis jejunant. Verum mos ille apud Orientales vulgo non invaluit. Profectò diem Sabbathi à jejunio apud illos immunem esse, testis est *Cassianus L. de instit. Cœnobior. C. 10.* Neutra Confuerudo Patribus improbanda vīsa est, ut adeò præclarè scripserit *S. Hieronymus*

mus Epist. 28. ad Lucinum, Traditiones Ecclesiasticas, praesertim, quae fidei non officiunt, ita observandas esse, ut à majoribus traditae sunt, nec aliorum Consuetudinem, aliorum contrario more subverti. Merito proinde, summoque jure concludimus, Trullanam Synodum, & Græcos deinceps Schismaticos, petulantius lacessisse, & perperam omnino damnasse Romanum Sabbathi jejuniun.

## §. IX.

**J**ejunium. **S**uccesere postmodum, quatuor temporum, primi nimirum, quarti, septimi, & decimi mensis, jejunia. Et quidem, si in re nondum satis explorata, Conjecturis indulgere liceat, hæc eo invalescere cœperunt tempore, quo Stationum rigor apud fideles tepescere, ac sensim remitti cepit. Hunc autem S. Augustini ætate, in pluribus jam Ecclesiis deferuisse, ex ejusdem Epist. 86. ad Cæsaran. evincitur. Ex tunc enim obdormiente Christianorum pietate, cum rari admidum essent, qui per singulas Hebdomadas, quartâ, & sextâ Feriâ obirent jejuniun, visum est saltē quatuor anni temporibus, istud restaurari. Primos extiisse Romanos, qui renovarint, haud infundata Suspicio est, quam vetus Sacramentarium Romanum, quod & Leonianum dicitur, abunde confirmat. Habuit S. Leo M. de verno jejuniu, Sermones XII. de aestivo IV. de autumnali IX. de hyemali VIII. Cæterum tribus, per quatuor anni tempora, diebus in Romanâ Ecclesiâ, jejunatum fuisse, S. Doctor non semel affert, utpote qui in suis de dicto jejuniu Sermonibus, verba hæc identidem ingeminat: quartâ, igitur, & sextâ Feriâ jejuniunus, Sabbato autem apud Beatisimum Apostolum Petrum Vigilias celebremus. Cum vero, quæ apud Romanos vigebat, disciplina, ad alias subinde, & alias Christianorum Ecclesiis, pleno alveo, se se diffuderit, exinde factum, ut universam sensim pervagaretur Ecclesiæ. Verumtamen, non nisi recepta à Gallis Liturgiâ Romanâ, Caroli M. ætate, Vim Legis ibidem non obtinuit. Uno enim ante fata suprema, anno, nimirum anno 813., praxim hanc, à C. Moguntino, piissimus Princeps decerni curavit, quam & quasi recentem Patres exhibent: *Constitutus, ajunt, Can. 34.*, ut quatuor anni tempora, ab omnibus cum jejunio obseruentur, scut est in Romanâ Ecclesiâ traditum. Quam vero incerta fluctuaverit olim jejuniu hujus Sedes, ex Synodo Salzburgensi, Anno 1022, celebrata, haud obscurè conjicitur, quippe quæ quatuor temporum jejuniun, incertum vocat. Ante Gregorii VII. & Urbani II. tempora, uniformem non fuisse circa illud, Ecclesiæ Disciplinam, latè ostendit Thomassinus P. 2. C. 18. Sed de his satis.

CAPUT

## C A P U T I I.

De Ciborum Delectu, in primitivæ Ecclesiæ  
Jejuniis, Observato.

## §. X.

**Q**uandoquidem jejunium Ecclesiasticum, nihil sit aliud Ortho. Recensentur doxis, quam abstinentia à pluribus Refectionibus, certoque Errors, Ciborum Genere, secundum Regulas Ecclesiæ, indagandum nunc est, an, & quosnam fidelium jejunio, terminos posuerint, Patres nostri. *Sciendum est*, ait Confessio Augustana tit. de Discr. cibor., tales observationes jejunii &c esse res adupboras, que extra Scandali Cajum omitti possunt. Concinit Confessio Argentenensis, Carolo V. in Comitiis Augustanis, Anno 1530. exhibita, locum, ait, tempus, modum jejunandi, malumus Spiritui sancto arbitranda relinquare, quād certis prescribere legibus, maximè quas sine peccato transgredi non licet. *Calvinus*, tametsi L. 4. instit §. 14. observationem Jejunii, & utilem esse, & ab ipsis Apostolis usque usitatam agnoscat, Carnium tamen eum, impius legibus prohibitum esse contendit. Magistrum sequitur Discipulus, *Joannes nempe Dalleus*, qui ut in Religionis nostræ leges, à Spiritu sancto conditas, & totius Mundi reverentiæ consecratus, honesto magis furore debachari possit, toto Conatu L. 1. & 2. de jejun. & quadrag. probandum sibi sumit, abstinentiam à Carne apud primitivæ Ecclesiæ fideles, nullâ publicâ lege præceptam fuisse. Indulgendum tantisper hic foret Hæreticis, cum fucata etiam, & ficta, ultrò civitate donentur adminicula, semel ubi liberè insanire placuit. Verum & Romanae Communionis Viros, eodem errore fuisse abreptos, mirari subit. Sic Dalleo subscriptus *Launoius de vet. cibor. delect.*, atque in hujus castra novissimè descendit R. P. HEDDERICH, ejusmodi fingens primorum fidelium jejunium, quale per *Ramadan* suum, triginta dierum intervallo, hodiecum Turcæ observant. Hiamque omni per totam diem cibo carentes, ubi nox advenerit, cænant opiparè, iisdemque, quibus semper, alimentis utuntur. Ita sanè, nec aliter, thesi 59. & 60. veteris Ecclesiæ circa jejunium Disciplinam R. P. HEDDERICH delineat.

## C

## §. XI.

## §. XI.

*Statuitur & A* st firma mihi, fixaque mens sedet, & opinio, abstinentiam à  
*probatur I.* Carnibus, Ecclesiastici jejunii semper partem fuisse, & apud ve-  
*vera Senten-* teres Christianos, diebus Esuriibus, publicā Lege praeceptam. Hoc  
*tia.* Concilia, hoc Patres, suis scriptis consignatum, nobis reliquerunt.  
 Ex innumeris feligemus paucos. *S. Basilius*, Hom. 1. de jejuniō, quod  
 quadragesimalē intelligi, ex totius homiliæ Serie constat, Carnes non  
 edis, inquit, à Vino abstines, Vesperam exspectas, ut Cibum sumas.  
*Theophilus Epist. 3.* Paſchali ad universos Ägypti Episcopos, “ ne-  
 “ quamquam, ait, diebus quadragesimalē, sicut luxuriosi divites solent,  
 “ Vini poculum suspireremus, neque in procinctu prælii, ubi labor,  
 “ sudor est necessarius, Carnium edulio delectemur. Qui autem Le-  
 “ gum præcepta cœsidoint, ignorant Vinum in jejuniis, Carnium Ejum  
 “ repudiant. “ Et subiungens exemplum *Danielis*, & Sociorum ejus  
 ita pergit: “ Nobis suæ fortitudinis exempla reliquerunt, habitantes  
 in Babylone Corporibus, sed Sensu, & Fide, in cœlesti Hierusalem  
 morantes, ut omnem deinceps ætatem docerent, jejuniorum tempo-  
 re, à Vino & Carnibus abstinendum, sumere de terrâ Semina, &  
 potandam aquam, quibus Comitibus utitur pudicitia. “ *S. Cyrius*  
*Hierosolymit.* Catech. 4. “ jejunamus, inquit, & à Vino, Carnibusque  
“ nos abstinemus, non ea, quasi piacula, abhorrentes, sed mercedem  
“ exspectantes, ut dum Sensibus grata contemnimus, spiritali, cœles-  
“ tique mensâ fruamur. “ Tempore quadragesimalis jejuniī, Coquo-  
rum discursus, & pecorum mactationes, è medio tolli, asserit *S. Jo-  
 annes Chrysostomus*, Hom. 1. in Genes., quam in Capite dicti jejuniī  
 declamavit. *Haec*, ait, veræ Feriae sunt, ubi animalium Salus, ubi  
 Pax, & Concordia est; ubi omnis bujus vite apparatus abigitur, ubi  
 clamor, & tumultus, & Coquorum discursus, & pecudum mactationes  
 è medio tolluntur. Apertiis adhuc altefatus *S. Doctor Hom.* 6. ad Popu-  
 lum Antioch. loquitur: “ quid, inquit, difficilius, non jurare, an  
 “ per totam diem inediā pati, & aquæ porū, & tenui Viētu siccari?  
 “ Certe est hoc illo gravius. Sed tamen Confusione res est tam facilis,  
 “ & expedita, ut adveniente jejuniō, eti millies quis exhortetur, mil-  
 “ liesque cruciet, & cogat Vinum delibare, vel aliud quid in jejuniis  
 “ non concessum, vel confuetum gustare, omnia quis mallet pati, quam  
 “ prohibitum tangere nutrimentum. Et hoc cum non illibenter erga  
 “ mensam affecti simus, tamen propter *Conscientiam*, ex *Conscientiā*,  
 “ omnia generose ferimus laborando. Hoc nimis & in Juramentis erit:  
 “ & sicut nunc etiam, si quis maximam necessitatem imponat, permis-

mss

“ nes Consuetudinem servans , sic & nunc , si quis etiam millies exhortetur , à Consuetudine non absistes . “ Ita ille . Fateor equidem haud invitus , ex solo Chrysostomo , recte non colligi , usum abstinentie à Carne , in universali Ecclesiā frequentatum . Interim hic ex aliorum Partium locis , sive jam prolatis , sive adhuc proferendis , manifestè innotescit . Neque enim alio , Ecclesiæ universalis Disciplina , innotescere nobis potest modo , quam ex omnium Ecclesiarum particularium Testimoniis , & Consensu . Quamvis autem Chrysostomus , ad Consuetudinem cuiusque referat jejunandi facilitatem , & abstinendi à Vino , & Cibis quibusdam , diebus esuriensibus , non tamen ad solam Ecclesiæ Antiochenæ Consuetudinem id referre censendus est . Quin imo Legem evidenter supponit , siquidem certum eduliorum Genus , non concessum vocet . Certe Basiliæ ætate ex usu Ecclesiæ conjuncta erat cum jejunio , à Carnibus abstinentia , atque haec eadem Temporibus Theophilus velut & illa à Vino , publicâ Ecclesiæ Legi definira fuit .

## §. X I L

**S**ed pertexamus telam , quam orsi sumus . Profecto non intra privatos particularis cujusdam Ecclesiæ Cancellos , conclusam dum nonnulli taxar fuisse , saluberrimam , quam propugnandam suscepimus , Dis-quarti , & disciplinam , complures , qui quarto , & quinto florere Sæculo , dif. quinti Sæculi susarum , per orbem , Ecclesiarum , Antistites , nominatim Hiero-li Patres , Auguſtinus , Leo M. , & Maximus Taurinensis , tradiderunt . S. Hieronymus , in C. 10. Daniel . ad illa Verba : panem desiderabilem non comedи , ita scribit : Hoc docemur exemplo , tempore jejunii à Cibis delicioribus abstinere ( quod ego nunc puto dici panem desiderabilem ) nec Carnem comedere , nec Vinum bibere . S. Auguſtinus Serm. 64. De temp . illa est , inquit , in diebus quadragesimae grandis utilitas , quod dum à licitis etiam abstinemus , magis , ac magis admonemur illicita vitare : qui enim abstinemus nos à Carnibus , quibus uti aliis diebus licet , fugiamus peccata , quæ omnino non licent . “ S. Leo Serm. 4. de jejun. quadrag. Christianam abstinentiam , Manichææ abstinentie opponens , sic discurrit : “ utilis quidem est abstinentia , quæ parco assueta Victui , deliciarum cohibet appetitum : sed vœ illorum dogmati , apud quos , etiam jejunando peccatur . damnant enim Creaturarum naturam in Creatris injuriam , & contaminari afferunt iis , quorum non Deum , sed diabolum Conditorem esse definitiunt . Vos autem Catholice Matris ,

sancta

“ sancta Generatio , quos in Schola Veritatis Spiritus sanctus eruditivit,  
 “ libertatem vestram congruâ ratione moderamini , scientes , quia bo-  
 “ num est , etiam à licitis abstinere , & cum castigatus vivendum est ,  
 “ ita discernere cibos , ut eorum submoveatur usus , non natura dam-  
 “ netur . ” Porro non alios damnabant cibos , & in Creatoris injuriam  
 execrabantur Manichei , nisi Carnes , veluti L. 30. Cont. Faust. C. 5. il-  
 lis exprobrat S. Augustinus . Carnium itaque esu abstineri vult S. Leo ,  
 quoties castigatus vivendum , sive jejunandum est . S. Maximus Thom.  
 3. de jojun. quadrag. “ Nos verò , ait , quibus propugnator iuicius ,  
 “ hanc Venerabilem quadragesimam dedicavit , repudiantes desideria car-  
 “ nalia , sic castigemus membra jejunii , ut animas Virtutibus sagine-  
 “ mus . ” Et paulo post : “ quale istud est , quod non vesceris Carni-  
 “ bus , & de ore tuo sordidius omni escâ , egreditur maledictum . ”  
 Quid clarius in rem nostram adduci , aut proferri posset ? Verum ut  
 & Controversiae nostra inimici nostri sint Judices , auscultare non pize-  
 bit , quid Catholicis quondam Faustus Manicheus , objecrit . “ Si ,  
 “ ait , quadragesima sine Vino , & Carnibus , non superstiosè à vobis ,  
 “ sed divinâ Lege servatur , videte , quæso , videte , ne summæ de-  
 “ mentiae hoc sit à Paulo dictum putare , quod dæmoniorum doctrina  
 “ sit , abstinentia omnis ciborum . ” Huic verò objectioni respondens  
 S. Augustinus , non negat , quadragesimam sine Vino , & Carnibus ,  
 ab Orthodoxis transfigi , neque Faustum redarguit , quod hanc absti-  
 nentiam dixerit divinâ Lege servari ; Leges namque Ecclesiæ , divinas  
 vocari posse S. Augustinus existimat , cum Christus præcepit , ut Ec-  
 clesiæ , ejusque Præsulibus , debita observantia deferatur . En ! Salus  
 ex inimicis .

## §. X I I I.

*Varia pro* Patres locuti sunt , superest , ut & Concilia loquuntur . Laodicenum ,  
*bac Senten-* §. IV. relarum , Can. 49. escas abstinentie convenientes , id est ar-  
*tia allegan-* diores , in quadragesima præscribit . Quis autem omnem ad eo excusse-  
*tus Concilia* rit Verecundiam , ut Carnes in Censum aridiorum referat ? Synodus  
 Trullana , Can. 56. jussit pariter , torâ quadragesimâ , abstinere ab om-  
 ni eo , quod maceratur , nec non ab Ovis , & Censo , & qui secus faxint ,  
 clericos quidem deponit , laicos autem segregat . C. Toletanum VIII.  
 Anno 653. habitum , Can. 9. Ita decenit : “ quisquis diebus quadra-  
 gesimæ sine evitabili necessitate , atque fragilitate , vel etiam impossi-  
 bilitate ætatis , esum Carnium præsumserit attentare , non solum  
 reus erit Resurrectionis Dominicæ , verum etiam alienus , ab ejus-  
 dem . ”

dem diei sancte Communione; & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore, ab omni Carnium esu abstineat Gulam, quia sa-  
cris diebus, abstinentiae oblitus est Disciplinam. Illi verò, quos aut  
æras incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non au-  
te prohibita violare præsumant, quām à Sacerdote permisum perci-  
piant. Quā Sanctōne, Concilii Patres, novam de abstinentiâ,  
Legem non statuant, sed statutam à retroactis Sæculis supponunt, pœ-  
nasque in illius Transgressores, duntaxat acuunt. Constat hoc mani-  
festè ex Verbis laudati canonis. Detecta est, inquit, ingluvies hor-  
renda Voracium, quæ dum fræno parsimonie non adstringitur, Re-  
ligioni contraire censetur. Nam dicente Scripturâ: qui spernit mini-  
ma, paulatim decidet in maxima; illi tanto edacitatis improbae sum-  
tu grassantur, ut Cœlestia, & penè Summa, contemnere videantur.  
Etenim cum quadragesimæ dies, anni totius decimæ deputentur, quæ  
in oblatione jejunii, Domino conseruantur, quibus etiam sibarri-  
mè Conditio humani Generis expiatur, dum à quatuor mundi parti-  
bus, ad hanc homo Religionem, crediturus adducitur, quatuor  
elementis formatur, proper Transgressionem decalogi, quererde-  
cies convenienter affligitur: illi auctu temerario, hæc omnia contem-  
nentes, Voracitatis quidem ingluviem, non frænant, &c., quod  
pejus est, paschalia Festa, illicitorum esum perceptione profanant.  
Instruimus itaque laudati Canonis tenore, quadragesimali tempore,  
illictum fuisse, Carnium esum: Cur porrò erat illictus, nisi quia pu-  
blica Ecclesiæ Lege, jam tum prohibitus? Præceptum similiter non  
tulit, sed latum supponit, ac confirmat Sæc. Synodus Tridentina Seff.  
25. de reformat. Ubi circa finem "hortatur omnes pastores, atque  
obtestatur, ut tanquam boni milites, quibuscumque fidelibus, sedu-  
lò commendent, omnique diligentia utantur; ut iis præcipue sint  
obsequentes, quæ ad mortificandam Carnem conducunt, ut ciborum  
delectus, & jejunia." Hæc Canonum Scita cum suâ studeat combi-  
nare doctrinâ, R. P. HEDDERICH, quod, utrum ad Calendas græ-  
cas usque præstirurus sit, ignoro.

## §. X I V.

Misericordia communis, quæ & nostra est, Sententia, illustratur factio Declaratur  
quodam insigni, quod sedente ad Clavum Imperii, Justinia uberioris ex-  
iyo, Constantinopoli, contigisse, refert Nicophorus L. 17. H. E. C. Factis His-  
32. Cum enim ob ingenem Cibariorum penuriam, secundâ quadra- toricis,

gesimae Hebdomadæ, Carnes in foro à Laniis publicè Venales, in Ci-  
vium Gratiam exponi jussisset Imperator, nemo unus erat in tantâ po-  
puli multitudine, qui Carnes emere, aut degustare vellet, mortem  
ibi potius quivis tolerandam, ac subeundam existimans, quam ut quid-  
piam de patris moribus, ac traditionibus immutaret. Certe iis, ait  
Ven. Bellarmiuus, qui sic agebant, omniaò persuasum erat, Leges  
Ecclesiæ, quæ carnis esum, tempore solemnis jejunii, vetabant, li-  
gare Conscientiam. Sed vœ populo huic, quod suus ei illâ tempestate  
defuerit PHILIPPUS. Deum immortalem! quam impigre, sine Ha-  
resi, aut Schismate, ad primos, si superis placet, Discipline Eccle-  
siasticæ Terminos, reduxisset jejunium, eò vel maximè, quod nauseare  
videatur ipsem et super cibo isto levissimo a selli arefacti, aliorumque  
piscium, quorum neque Hyperaspistes esse creditur. Cœsaris in tantâ  
Reipublicæ Calamitate, & pressurâ, quot, & quantis extulisset Lau-  
dum Encomiis? quantâ dicendi facundiâ, nugacibus hisce Scrupulis,  
Civium exemisset animos? Neque, ut fucum faceret, facile Oratorem  
defecissent Verba: *Heus! jejunium nullatenus consistit in esu a selli are-  
facti, aliorumque piscium . . . ab initio non fuit sic . . . . . obedit Pre-  
positis vestris . . . Non frustrâ portat Gladium . . . . Quos Ego! . . . .*  
sed motos, Eximie Pater! præstat componere fluctus. Si iustum eff.  
in Conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Aet. IV.  
19. Chrysostomo credimus, recta suadenti, non cuivis Spiritui, qui  
novorum Dæmoniorum videtur Annuntiator esse. Aet. XVII. 18. Sed  
haec per transennam. Proxime latius.

## §. X V.

*Continatio.* **A**liud non minus illustre factum, quod, quam stricta olim, fuerit  
sum. Enarrat illud, Sozomenus L. I. H. E. C. II. His Verbis:  
“ instante jam quadragesimâ, quidam ex itinere ad eum (Spiridionem)  
“ accessit, iis ipsis diebus, quibus ille una cum Domesticis solebat con-  
“ tinuare jejunia, ac certo die comedere, reliquos dies, absque ullo  
“ traducens cibo. Cum autem Spiridon, peregrinum, admodum  
“ fessum videret, age, inquit, Filia! lava hominis pedes, eique  
“ cibum appone. Cum Virgo respondisset, nec panem domi esse,  
“ nec farinam: Supervacuum enim esse, harum rerum apparatum,  
“ propter jejunium, Spiridon, præmissâ Oratione, & petitâ Venid.  
“ præcepit Filiae, ut suillas Carnes, quas Sale conditas habebat, co-  
“ querat,

queret. Quibus coctis Hospitem, unà secum sedere jussit. Appo-  
 fitis Carnibus cum ipse comedit, tum Hospitem hortatus est, ut co-  
 mederet, cumque ille detrectaret, ac Christianum se esse diceret; eo  
 minus, inquit, detrectandum est, omnia enim munda esse mundis  
 Sermo divinus edocuit. " *Spiridion*, itaque, ceu ex facti Specie li-  
 quet, Carnem, quam, ut ad Pascha servareretur, Sale condierat, ho-  
 mini ex itinere admodum fesso, apposuit, cum aliis praestō non forent  
 cibi: Carnem, ipse, ut Hospiti Scrupulum excuteret, eumque suo  
 exemplo ad Vires eo cibo reficiendas invitaret, ipse comedit. Nemini  
 autem dubium est, quin ipsis jejuniorum, ab Ecclesiā praeceptorum  
 diebus, licitus sit Carnium esus, si urgeat necessitas, aliquie, panis  
 praeferim, deficient Cibi. At nonnisi perperā & insulsè, ex hoc  
 facto quis inferret, abstinentiam ab esu Carnium, quadragefimali etiam  
 tempore, fuisse liberam. Contrarium enim planè demonstrant, His-  
 toriae illius Circumstantiæ. *Spiridioni* scilicet, præter Carnes, Sale  
 conditas, nihil aliud, quo lassum reficeret, obsōni supererat: Ora-  
 tionem præmisit *Spiridion*, & Veniam à Deo petiit: quorūm autem  
 hæc Veniæ petitio, in re absolutè liberā? Hospes invitatus, ut Car-  
 nem gustaret, detrectavit facinus, Christianum se esse, caufatus: ita-  
 ne verò multūm reluctari potuisset, homo ille, si persuasum tum tem-  
 poris erat Christianis, abstinentiam ab esu Carnis, rem esse merè adia-  
 phoram, & quæ pro uniuscujsque nutu, & arbitrio observari, vel  
 omitti possit? apage nugas.

### §. X V I.

ET verò Carnem à jejuniis primorum fidelium exulasse, exinde satis *Concluditur*  
 arbitror demonstrari, quod longè, latèque apud illos, qui ma- ex Rationi-  
 gis Religiosi haberi vellent, Xerophagiæ obtinerent. " Præterea, inquit h[ab]us perem-  
 " S. Epiphanius in exposit. fid. Catb. Sex illos Paschatis dies Xerophagiæ.  
 " giis, hoc est, arido Viētu transigere omnis populus assuevit: hoc  
 " est, panem duntaxat cum aquâ sub Vesperam adhibere: imò verò  
 " nonnulli ad biduum vel triduum, vel quadriduum usque Jejunia pro-  
 " rogant. Alii totam Hebdomadam, ad usque sequentis Dominicæ  
 " Gallicinium sine cibo transmitunt. " Et S. Augustinus L. de morib.  
 Eccl. Catb. C. 33. de Monachorum jejuniis ita loquitur: " jejunia etiam  
 " prorsùs incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub  
 " noctem refiendo Corpus, quod est usquequaus usiratissimum,  
 " sed continuum triduum, vel amplius səpissimè sine Cibo, ac portu  
 " ducere.

ducere. Neque hoc in Viris tantum, sed etiam in fæminis. Etenim si pientiores homines tantam adhibuere Curam, ne quid succulentis degustarent, manifestè evincitur, ratum fuisse, fixumque primitivis fidelibus, stare nequaquam posse cum jejunio Succulentorum saltem quorundam ciborum, quales procul dubio Carnes sunt, esum. Mirum sane, eos, qui ipsum jejunandi morem ac consuetudinem hauserunt ab Apostolis, jejunii modum, ritumque ab iis non didicisse? Si ex Veteris Ecclesiæ disciplinâ, qua & Caroli M. ætate, imò ad Sæculum usque XIII. viguit, jejunium quadragesimalle Vespere duxat, cæteris autem jejuniorum diebus, ut plurimum horâ nona, siue post meridiem tertią solvi poterat, quis induci se finet, ut credat, Carnis delicias fidelibus fuisse indultas? Si nefas erat delibare Vinum, fasne fuerit Carnibus farcire Ventrem? Si pœnitentia & mæroris tempore, ab amplexibus vacandum fuerit conjugibus, ut ex Nicolao I. C. 50. respōns. ad Consulta Bulgarorum compertum est, num libidinis incentiva, somitesque arbitremur nullâ lege fuisse sublata? Credat Iudeus Apella: nunquam ego. Altius reperendas esse abstinentiæ hujus natales & originem, prorsus tenendum reor. Illa enim, ait *Augustinus*, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Concilis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima Autoritas, commendata, atque statuta retineri, sicuti quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cælum, & Adventus de Cælo Spiritus sancti, anniversariâ Solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa quacunque se diffundit, Ecclesia. Epist. 118. C. 1. Jam vero abstinentiam à Carnibus tempore Jejunii universa tenet, semperque retinuit Ecclesia, neque in plenario quodam Concilio instituta legitur, nec quos primitus facta sit Authores, aut quo præcisè Sæculo invalescere cœperit, ullatenus determinari potest, ab Apostolis igitur tradita merito creditur. Integræ pro hac Sententiâ laudare possem Theologorum Catervam; ast cum hos homines honoris & reverentiæ Causâ R. P. HEDDERICH passim Circulatorum, seu Quacksalberorum dignari soleat Titulo, lubens abstineo. Cfr. interim Martin. Peres. Aiala Quidixiensium olim Episcopus, L. de Divin. Et Apost. Tradit. p. 3. f. m. 142. Seqq. Item didac. Covarruvias Episcop. Segobiensi. Tom. 2. L. 4. C. 20.

CAPUT

## C A P U T I I I.

De Potestate relaxandi , seu variandi Ecclesia  
Disciplinam circa Jejunia Fidelium.

## §. X V I I.

Am incipiunt mysteria. Parturient montes. Adeste Mecenates, spec- Proponitur  
rare, favete. Nurat præsca fides : exulat fermè religio : arundineis *Paradoxa*  
innititur fulcris Disciplinæ nervus : facta est in opprobrium Civitas per- circa que-  
fecti decoris, Gaudium universæ terræ. Fata, horrida fata ! sub reli- tum, R. P.  
gionis Larvâ, sub Zelo Disciplinæ, Disciplinam cernimus pessumdarî, *HEDDE-*  
*Canones everti, paradoxa & inaudita proponi. Dabit, opinor, Ve-* *RICH Doc-*  
*niam R. P. HEDDERICH, si paradoxis accenseam, quam Thesibus trina.*

58, 59, & 60 instillat doctrinam. Fallit, & fallitur reverâ Vir bonus,  
& immane quantum fallitur ? *possimus scire, quæ est bæc nova, quæ*  
*à te dicitur doctrina ? nova enim quadam infers auribus nostris : Volu-*  
*mus ergo scire, quidnam velint bæc esse ? Act. XVII. 18, 19, 20.*  
Styli barbaries, inconcina phrasis, jejuna & contorta Latinitas, mens  
subtimide prolata, aperte clamant, nugari hominem. *Audiemus te*  
*de hoc iterum.* “ Quanquam , ait thesi 58 , potestas determinandi je-  
junii dies quo ad abstinentiam ab omni cibo ex motivo religionis per-  
tineat ad jus sacrorum , Domini tamen temporales ex motivo bonum  
Reipublicæ concernente Emptionem Venditionem piscium extraneo-  
rum , ex Consequati & Comestionem eorundem justissimè prohi-  
bent. ” Pergit thesi 59 : “ quo Casu justissimè instari poreft apud  
Episcopos, & sumnum Pontificem , ut jejuniun reducatur ad pri-  
mos Disciplinæ Ecclesiasticæ Terminos, videlicet ad unicam refectio-  
nem de die , etsi in Carnibus sumendam. ” Colophonem tandem  
imponit thesi 60 : “ quare si remonstratis justissimus Causis , Ecclesia  
Præfulibus de permitting Carnium esu diebus jejunii ( præcipue  
quia millions nummorum pro piscibus extraneis ad terras alienige-  
nas transmittuntur , non sine gravissimo Territoriorum Germanicæ  
dispendio ) nihilominus Ecclesia esset invita , non foret Hæreticus ,  
neque Schismaticus , qui defenderet , Dominum territorialem ex  
Causâ bonum Reipublicæ concernente, permittere posse subditis esum  
Carnium , relicto jejuno in Terminis primorum fidelium ex moti-  
vo religionis , videlicet in unâ duntaxat refectione , etsi in Carnibus  
sumenda. Notate verba , signate mysteria.

D

## §. XVIII.

## §. XVIII.

*Expenditur* **V**erum quid vult Seminiverbius hic dicere? ut verum fatear, sunt  
*Sinventa* multa fucis illata: spongia indigent plurima. Quid, quæso, de  
*minas ba-* me literatus orbis ferret judicii, si ita discurrere mihi mens aut Consi-  
*bens explo-* lium foret? I. "Quanquam potestas determinandi impedimenta ma-  
*ditur.* " trimohii dirimentia ex motivo religionis pertinet ad ius Sacrorum,  
" Domini tamen territoriales ex motivo bonum Reipublicæ concernen-  
" te, circa matrimonium à suis subditis contrahendum nonnulla pro-  
" vidè requirunt; aliqua justissimè prohibent. " II. " Quo Casu jus-  
" tissimè instari potest apud Episcopos, & summum Pontificem, ut  
" matrimonium reducatur ad primos Disciplinae Ecclesiastice Terminos;  
" videlicet ad individuam Vitæ Consuetudinem inter unam & unam.  
" et si cum impedimentis jure recentiori invenitis, incundam. " III. " Quare si remonstratis justissimis Causis Ecclesiæ Praefulibus de per-  
" mittendo matrimonio in Gradibus jure sequiori prohibitis (principiè  
" quia summa hinc inde nummorum pro Dispensationibus impetrandis  
" ad terras alienigenas transmittitur) nihilominus Ecclesia esset invita,  
" non forer Hæreticus, neque Schismaticus, qui defenderet, Domini-  
" num territoriale ex Causa bonum Reipublicæ concernente, permit-  
" tere posse subditis suis Catholicis matrimonium, relieto Contractu in  
" Terminis primorum fidelium ex motivo religionis, videhet inter  
" unum & unam, et si in Gradibus moderno jure veritis contrahen-  
" dum. " Bella, acuta sane Argumentatio, picturæ haud absimilis,  
quà humano Capiti, Cervicem pictor equinam jungeret. Par omnibꝫ  
judicium de suo formet discursu R. P. HEDDERICH. Id affirmare au-  
fin, nec ovum ovo esse similius. Posse Principes & Magistratus ex  
motivo bonum Reipublicæ concernente, veluti cæterarum mercium,  
ita & piscium extraneorum illationem, proin & consecutivè eortindem  
Emptionem, ac Comestionem pleno jure prohibere, nemo unus est,  
qui haecenus in Crisit vocaverit. Sed nunquid jam Deus est in Cælo,  
quia Baculus stat in angulo? deerit Germanis Casus, si Hollandicus,  
Helveticus à nostro proscriptur Litore? Aquâ fitim levabimus,  
ubi Vinis exteris carebimus? an patrius vilescer, si Baccho Burgundi-  
co exulandum est? jejunârunt Majores nostri, & acriori, quâni nos,  
rigore jejunârunt, antequam saliti haleces, aselli arefacti, aliquæ  
quos mare gignit, pisces Germaniae emporis adnatarent. Nolim cre-  
dere, persuasum esse R. P. HEDDERICH, sine efu aselli arefacti,  
eujus, ut alibi jam memini, amicus non est, transfigi non posse je-  
nium.

nium. Sustinent certè, & posthac sustinebunt inediā, innubent imperii nostri incole, Fragis & Cyclaminis aridioribus contenti, de Carnē, aut asello arefacto parū solici. Sentio: Millions nummorum Batavis mercatoribus transmittendorum, quēis ceu extremo Sanguine, Corporis politici spoliantur Venæ, hominis pungunt animum. Supéri! quæ metamorphosis? an subito murata Scenā, prorupit R. P. HEDDERICH in Consiliarium aut præfectum Aërarii? Cur tanta dñe nummaria Curam gerit Frater Minor, Doctor Theologus, Professor Canonum? sed hæc sint per allegoriam dicta.

### §. XIX.

**F**anniā Lege ad compescendum Conviviorum Luxum, jejunii tempore, primos non indignissime Christi fideles, sicut superque demonstratum I. ad hoc stratum ivimus. Verū transmittamus tantisper, quod falso & gratis, minem. nullāque probabilitatis umbrā teclus, fingit, & supponit R. P. HEDDERICH. Fuerit, per me licet, primus Disciplina Ecclesiastica circa jejuniū Terminus, unica refectio de die, et si in Carne sumenda: quid inde? Vertuntur tempora, vertitur &c, quæ variabilis est, Ecclesiæ Disciplina. Erat tempus, quo visum est Spiritui sancto, & Apostolis, nihil ultra imponere fidelibus oneris, quam bæc necessaria, ut abstinerent se à Sanguine & Suffocato. Act. XV. 28. 29. Erat tempus, quo Augustino vivente & teste L. 15. de Civit. Dei C. 16, nullā adhuc Ecclesiæ Legi vetita, aut irrita fuere patruelium, & Consobrinorum Connubia. Ast & tempus fluxisse novimus, quo Legis præcepto prius fuit exemptum, alterum eidem factum obnoxium. Non enim divinum, sed Ecclesiasticum præceptum illud erat, ab omni Ecclesiâ editum. Quid quid igitur eodem congregata modo sanxerit Ecclesia, eodera omnino modo habendum est; siquidem Spiritus sanctus non minus universalis Ecclesiæ, quam Apostolis, & promissus fuerit, & exhibitus, quin etiam magis, cum in Apostolos effusus sit propter Ecclesiam, ut pote cui hunc præcisè in finem datus est, ut tanquam stabilis ac perennis Magister eam doceat omnem Veritatem. Et certè num minor est hodie, ac olim Ecclesia docentis, imperantisque Authoritas? an minori in pretio habenda sunt C. Tridentini, quam Nicæni decreta, quod illud XVI., hoc IV. Ecclesiæ Sæculo fierit celebratum? fors rugam subito aut maculam contraxit senescens Christi Sponsa? definitæ temporum periodo potestatem ferendi Leges, ad regendum debitè, quem accusavit Sanguine suo, fidelem populum, affixit Christus, Legifer noster?

noster? stultescat, oporet, cuius hæc mentem dementia cæperit.  
 Potest etiamnum, si velit, Ecclesia, antiqua Brachii sui operari mag-  
 nalia, æquo marte vetustas abrogare, novas condere, collapsaque,  
 ubi res & Occasio rulerint, reducere valer Disciplinæ Leges. Quām  
 insulsa igitur, quām extreñē stolidæ hæc est illatio: Olim hæc non vi-  
 guit, aut obtinuit Disciplina: ergo tollenda, ergo Vetus reducenda  
 est? Profectò, si quæ evanuit, restituenda in omnibus sit Disciplina,  
 vereor ego, ac malè snetto, ne mox & Aulâ & Cathedrâ abeundum  
 sit R. P. HEDDERICH; ab initio enim non fuit sc̄. Placet interim  
 Conatus. Optima propositio: restauretur illa. Hem! quām jucunda  
 Oculis pandetur Scena? revirescit Viror junci, & Calami: redibit  
 Virgo, Saturnia redibunt Sæcula. Capientur Vulpeculæ, quæ demo-  
 liuntur Vineam Domini Sabaoth: disparebunt monstra, quæ Ecclesiæ  
 faciem etiamnum deturpant. Cernere denud erit flentes in porciu-  
 sistentes in Vestibulo, subtratos in ambitu. At hæc cura nec angit,  
 nec tangit Reformatores Nostri Sæculi. Carni dunataxat blandiuntur &  
 Sanguini. Magnatum aucupari gratiam, auræque popularis venari Si-  
 bilos, hoc opus eorum, hic labor est. Perdere volunt, & mactare,  
 evellere, dissipare, destruere, non quidem Zizania, sed Triticum?  
 & bona Semina. Ex fructibus eorum cognoscimus eos. Quid plura?  
 reducatur jejunium publicum & solempne ad unicum illud diem, quo Christus  
 in Crucem actus emiss Spiritum; cessabunt jurgia: ecquis enim  
 precepto abstinendi à Carnium esu per unius diei spatiū querelam nul-  
 litatis facile obmovere ausi? paucis multa.

## §. X X.

*Argumen-* **E**piscopos quondam pro emergentibus rei Christianæ periculis, publi-  
*tum II. ex* cisque causis indicere consueuisse jejunia, ex Veteris Ecclesiæ utu  
*Veteris Ec-* manifestè constat. “ Benè est, inquit Tertullianus *L. de jejun. C. 13,*  
*clesiæ usupe-* “ quod Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent; non dico de  
*titum.* “ industria stipium conferendarum, ut vestra Capturæ est, sed inter-  
 dum & ex aliquâ Solitudinis Ecclesiasticae Causâ, aguntur præterea  
 per Graciam illa certis in Loci Concilia ex universis Ecclesiis, per  
 quæ & altiora quæque in Communione tractantur, & ipsa representatio  
 nominis Christiani magnâ Veneratione celebratur. . . . . Conven-  
 tus autem illi Stationibus priùs, Jejunationibus operati, dolere cum  
 Dolentibus, congaudere Gaudentibus norunt. “ Potestatem deter-  
 minandi jejunii tempora, atque ea relaxandi ratione motivi religionis, ad  
 Eccl.

Ecclesiam pertinere, haud abnuit R. P. HEDDERICH Elem. J. C. p.  
3. f. 182. sepius jam citato. Sed, addit, Dominus quoque territoria-  
lis, quatenus certa Ciborum Genera prohibentur, aut nova planè jejunia  
indicuntur, ex motivo Rempublicam concernente exclusi nequit. Itane  
verò & Paulus præcipiens custodire precepta Apostolorum, & Seniorum  
Act. XV. 41. Cæsaris Consensum experti? TITI forsè, VESPA-  
SIANI, ANTONINI placita rogarunt primitivi Ecclesiarium Præfu-  
les, siquando certa prohibituere Ciborum Genera, aut nova indixere  
jejunia? Petro, non Tiberio claves Ecclesiæ Christus concredit, nec  
subdit, num parere velit, Voluntas exquiritur. Nullum, quantum-  
eunque cum mæ pugno memoriā, in Ecclesiasticis monumentis de præ-  
tensiā ratihabitione Domini territorialis extat Vestigium: nullo docce-  
mur Canone, Episcopos, dum ad Carris edomandam libidinem, vel  
ad placandam per penitentia opera Dei Nemesim, jejuna mandarunt  
fidelibus, principum efflagitasse consensum. Bæbneri hic Canon est,  
non Ambrosii. " Non potest, ait Tridentinus Patrum Senatus Seff.  
" 25. de reformat. C. 17, sancta Synodus non graviter dolere audiens  
" Episcopos aliquos sui Status oblitos pontificiam Dignitatem non levi-  
" ter dehonstate, qui cum Regum ministris, Regulis & Baronibus in  
" Ecclesiâ & extra indecenti quadam demissione fe gerant &c. " an ve-  
" rid & hac nimis demissione Pontifica non leviter deprimitur Authoritas,  
" quisque rerum arbitrii dijudicet. Et nunquid hac agendi ratione  
Lex Ecclesiastica Domino magis territoriali, quam ipsius mandanti  
Episcopo referri deberet accepta? num forte in Dynastiarum apafones,  
Satellesque transformari placet Principes Hierarchicos, jure divino il-  
lis multum sublimiores? Eminentis Aquila non indiget alia, nec fictis  
egit honoribus excelsa Magistratum Gloria, qua veris abundat. Dic,  
quæso, quis Princeps, dum novam è re natâ molitur Legem, Epis-  
copi explorat animum, aut eundem suis adhibendum Consilium existimat?

## §. X X I.

Porrò si, velut in Confesso est apud omnes, potestas determinandi Argumen-  
jejunii dies quo ad abstinentiam à certo Ciborum Genere, perti-  
neat ad jus Sacrorum, cur Domini territorialis Authoritas hic in Sce-  
nam producitur? diversè planè mundus hic aspectabilis spiritualium, Sacra que-  
ac temporalium rerum administratione, suum in finem dirigitur. Duo situm  
sunt, inquit GELASIUS Papa C. duo sunt. Dist. 96, quibus principa-  
liter hic mundus regitur, Authoritas sacra Pontificum, & regalis Po-  
testas.

*teſtas.* Sacerdotium nempe & imperium : hoc quidem humanis præſidens, illud divinis ſacrisque miniftrans, ita ut nec Imperator jura Pontificatū arripiat, nec Pontifex nomen Imperatoriam uſurpet. *Adibus enim propriis Deus, & Proprietatibus distinctis officia potestatis utriusque diſcrevit, ut & Christiani Imperatores pro aeternā Vitā Pontificibus indigerent, & Pontifices pro Cursu temporalium rerum Imperialibus Legibus uerentur.* C. cum ad Verum. Dift. cit. Igitur “ Princeps fidelis filius eſt, non praeſul Ecclesiæ ; quod ad religionem competi, dicere ei conuenit, non docere : habet privilegia ſuæ potestatis, que adminiſtrandi Legibus publicis divinitus confecutus eſt. Ad Sacerdotes autem Deus voluit, quæ Ecclesiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad Sæculi potestates. Quas ſi fideles ſunt, Ecclesiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas, non ſibi vindicare alienum juf & ministerium, quod alteri deputatum eſt : non executiones ſuas Ecclesiasticis Praefulibus preferre. “ C. ſi Imperator Dift. 96. Jura, ait Augustinus, humana, jura Imperatorum ſunt. Quare? quia ipsa jura humana per Imperatores & Reges Deus diſtribuit Generi humano. Sed, allegatur, Verba ſunt Amoris, Imperatori licet omnia, ipſius eſſe univerſa. Respondeo: noli te gravare Imperator! ut putes te in ea, que divina ſunt, Imperiale aliquod juf babere: noli te extollere: ſed ſi viſ diutiū imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: que Dei, Deo; quæ Caſarī, Caſari. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ: publicorum tibi menium juf commiſſum eſt, non ſacrorum. Tributum Caſarī eſt, non negatur: Ecclesia Dei eſt, Caſarī utique non debet adjici, quia juf Caſarī eſſe non potest. Templum Dei. C. Coavenior. 23. q. 8. Haec Patrum fuere ſenſa: Haec ſacerdorum Canonum ſtatuta. Sic & optimè Alexander III. in C. Cauſam que. X qui filii &c. Cauſam ſuper Valore matrimonii Ecclesiasticam facit: ad Regem autem, ſubdit, pertinet de Poſſeſſionibus judicare.

### §. X X I L

*Argumen-* **L**e gibis Ecclesiasticis ab Episcopis promulgatis & editis non minùs tum IV. ab fe, ac populum obſtrigi, ratum habuere ſemper, Religioſorum exemplis & Principum mentes. Haecne, ait Bernardus Serm. 3. in quadrag. effatiſ Im- uſque ad nonam jejunavimus ſoli, nunc uſque ad Vesperam jejunabunt no- peratorum biſcum universi Reges, & Principes, cleruſ & populus, nobiles & igno- deductum. biles, ſimil in unum dives & pauper. CAROLUS M. ut refert Monachus S. Galli L. 1. de Vita ejus C. 12, ſolum per accidens, & ſoliuſ provi- tum c- ratoru- " VII- " run- " ſun- " Eco- " qui- parite- nodu- " ſaci- " ut- " bea- " ad- " ſe i- illis, " mil- " mo- " Cu- Phraſi- " con- " filli- " Ver- Digna- 2.4. re- " intr- " may- " app- 1. Cor- S. AL- " 165- " dife- " ticum- " cum e- finem- NUS- " Ecclesiast- " Ram q- donum-

providentiae Causâ jejunium ante vespertinam Horam solvere, sibi licet  
 dum duxit. Neque ullum circa sacra se jus obtinere, primi ævi Imper-  
 torum religio tenuit. " Hæc enim, ut præclarè in Synodo generali  
 VIII. differuit **BASILIUS I.**, investigare, & querere Patriarcha-  
 rum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium fortissi-  
 sunt, qui sanctificandi, ligandi, & solvendi potestatem habent, qui  
 Ecclesiasticas adepti sunt Claves: non nostrum, qui paci debemus,  
 qui sanctificari, qui ligari, vel à Ligamentis solvi egerimus. " Simili  
 pariter persuasione tinctus erat **THEODOSIUS Junior** in suis ad Sy-  
 nodum Ephesinam literis. " Candidianum, scribit, Comitem ad hanc  
 sacram vestram Synodum abire jussimus: sed eâ Lege & Conditiōne,  
 ut cum Questionibus & Controversiis nihil quidquam Commune ha-  
 beat. Nefas enim est, qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo  
 adscriptus non est, cum Ecclesiasticis Negotiis & Consultationibus  
 se immiscere. " Sensit & hoc **VALENTINIANUS Senior**, dum  
 illis, à quibus importunis ad cogendam Synodum rogabatur precibus,  
 mihi, respondit, qui unus è numero Laicorum sum, non licet ejus-  
 modi negotiis me interponere. Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc  
 Curæ sunt, ubicunque ipsis liberum fuerit, conveniant. " Nec alia  
 Phrasij **MARTIANUS**, relatus Dist. 96. C. 2, " nos, ait, ad fidem  
 confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religio-  
 fillini Principis Constantini, Synodo interesse voluimus, ut inventa  
 Veritate, non ultrà multitudo pravis Doctrinis attracta discordet. " Digna sanè **CONSTANTINO Vox**; quam L. 4. de Vitâ Constant. C.  
 24. refert **Eusebius**. " Ego, ajebat, Episcopus extra Ecclesiam, vos  
 intra Ecclesiam à Deo constituti. O rabida furoris audacia! exclamavit olim altessatus Imperator, " sicut in Causis Gentilium solet,  
 appellationem interposuerunt " **Donatij**. Vid. Optat. Milevit. L.  
 1. Cont. **Parthenian**. Laudatissimi Imperatoris religionem pari elogio  
 8. **AUGUSTINUS** commendat. " **CONSTANTINUS**, ait Epist.  
 165, non ausus est de Causâ Episcopi Cæciliani judicare, sed cam  
 discentiandam, atque finiendam Episcopis delegavit. " Si Ecclesiasticum Negotium sit, nullam Communionem habento Civiles Magistratus  
 cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros Cionones  
 finem imponunt, Authent. 123. ipsiusmet constituit. **JUSTINIANUS**, tametsi, (saltem nisi Constitutiones ejusdem circa Causas Ec-  
 cleasiasticas, non tanquam Leges definitores Fidem & Cultum, sed so-  
 num quâ approbantes & mandantes executionem jäm præcedentium Ca-  
 nonum habeantur) jure carpatur, quod non semel factam suam misce-

rit in alienam messem, & extra forum suum etiam in Choro, abjectâ penè, aut THEODORÆ Conjugi relictâ, vaftissimi Imperii sui Cura, Leges dare præsumserit. Quod si BELLISARIUM non tulisset etas illa, sub MAGNI Cognomine vix unquam apud poitros inclarusset.

§. XXXIII.

*Argumen-* **C**onsentientes nobis hac in parte præter Orthodoxos benè multum *V. ex-* tos, habemus & ex Protestantium, ac Reformatorum Scholâ, *Confensu JC*tos longè præstantissimos, præfertim Christopher. Matb. PEFFILIUM *J*Ctorum in origin. *J. E. C. 4. Ar. 1.*, Samuel. STRYCKIUM de Juv. *Protestan-* princip. Imper. Evangel. C. ult. §. 3. 4. 5. 6. Jacob. TRIGLANTIUM ac Re. DIUM, tract. de Civil. & Ecclesiast. potest. Guiliel. APOLLONI formato- *UM de jure Majest. circa sacra*, aliosque magno numero, qui Jus & rum. Dispositionem circa sacra, Magistrarii Civili negant, & pernegerant. *Enim* vero, ut ajunt, potestas Magistratus Civilis pro fonte & origi- ne suâ habet regnum universale naturæ, & potentiae divinae, & nata est in publicis Societatibus, crescente Genere humano, & Coalitione in Cætus facta. Hujus potestatis aliud non est *finis*, quam publica exter- na, & politica Tranquillitas, Conservatio boni ordinis, ac Tuitio boni Civilis. Præter hoc vero Deus aliud institut regnum speciale, ac mediatorium, quod plenâ spiritualiter est, ac toto Genere diversum à regno illis mundanis sub regno potentiae divinae constitutis, erectum specialiter per pactum inter Patrem & Filium, & hinc oppositum regno tenebrarum, ac portis inferi. Hoc regnum à Rege Christo cum omnibus membris fuit ematum preioso Sanguine ipsius, regiturque & propagatur non armis, sed Virtute Verbi, & Spiritu divini in Fide, Spe, & Charitate, per Graiam ejus supernaturalem in Gloriam sem- piternam. In hunc finem misit Christus ministros suos, sicut ipse mis- sus fuerat à Patre, ut Legatione fungeretur in nomine ejus, fierent que Dispensatores Mysteriorum Dei, Vigilantes pro animabus fidelium, tanquam rationem pro iis redditur, ut qui ipso audiret, vel sperne- ret, Christum ipsum audivisse, vel sprevisse censeretur; ut quod ipsi ligarent, vel solverent, remitterent, vel retinerent, etiam in Celo ratum validumque haberetur. *In* *bujus regni administratione* (ubi Chris- tianus peculiares habet Ministros à se solo unicè dependentes, propriisque Le- gibus & Constitutionibus regentes Ecclesiam) nullas partes habet Magis- tratus politicus; neque in quantum est Magistratus, cum illa potestas gantum circa Civilia ac Temporalia occupetur, regatque homines, ut homines

Homines & Creaturæ rationales sunt, non autem ut Christiani. Neque ut est membrum Ecclesie, cum Magistratus ut talis non sit Ecclesiae membrum, sed tantum ut est fidelis; sicut Pastor quæ talis non est membrum Reipublicæ, sed tantum quæ Civis. &c. &c. Ita orthodoxe per omnia, Nominati supra Doctores, innumeris ætatis nostræ adulatoribus multum æquiores. Videbis Joann. Wolfgangi HÆGER, Tübingensis olim Cancellarii Tract. de Concord. Imper. & Sacerdotii.

### §. X X I V.

Nunc tandem, quid facto sit opus, Casu, quo remonstratis iustis-Remedium, simis Causis, Ecclesiae Praefulibus, de permittendo Carnium e/u quod R. P. diebus jejunii, nibilominis ECCLESIA (utique tam per orbem disper-HEDDE-fa, quam in Synodo generali congregata) effet invita, docet R. P. RICH Jug-  
HEDDERICH, cantelas fuggerens, & recuperandæ Libertatis reme-gerit Tbesi  
dia, Jurisdictione Ecclesiastica in manus laicæ potestatis translatâ. Par-60, scanda-  
cere, me judice, his Phrasibus, majori nominis sui incremento, par-losum est, &  
cere labori portuisset laudatus P. Professor, profanasque Vocum novitates Sceleris faveat.  
devitare. Trepidat revera Timore, ubi Timor non est. Eodem, quo  
olim, Charitatis & Discretionsis Spiritu, etiamnū animatur Ecclesia:  
Disciplinæ nervum, sicut intendere norunt, ita & haud gravatè remit-  
tent ii, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, modò non  
facta, sed justa subit rigor relaxandi Causa. Non semper arcum tendit  
APOLLO suum. Id nuper, id hodie, id multoties vidimus, ita ut  
dubium esse videatur, an non potius suā indulgentiâ hinc inde excedant,  
quam deficiant sanctissimi Præfules. Cui ergo bono isthac inepta Char-  
ta insperitus Somnia R. P. HEDDERICH, his præcipue exulceratis  
Temporibus, dum omnes fermè querunt, quæ sua sunt, non quæ  
Iesu Christi, dum refrigescit Charitas multorum, & turmatim itur ad  
Vitulos aureos? adulari voluit: nihil queras amplius. Hæc certè, si  
ulla alia, perniciofissima Doctrina est, bonisque moribus summoperè  
inimica, Hominibus suâ indole ad malum pronis, flebile pandens iter  
ad Interitum. Sic nempe, sic Tuba inflatur perfidiæ, sic Transgres-  
sionibus laxantur habenæ, sic Vexillum erigitur effrenatae Licentiae, sic  
contra Ecclesiam armantur Potestates hujus Sæculi, & sensim omne  
ejusdem Sanctionibus subtrahitur obsequium. Non enim major pro unâ,  
quam aliâ quâcumque, quæ Disciplinam attinet, Ecclesiae Lege subver-  
tendâ, stare ratio dicoñscitur. Et quid demum, si, ut in humanis  
accidere natum est, justissima videantur Domino territoriali tollendi Le-

gem motiva, quæ libratis omnibus, Ecclesiæ apparent nulla & ficta ? quid si instet Respublica, ut Gradus restringantur propinguitatis, ut & Laicis concedatur usus Calicis, ut sublato Cælibatu, Clericis permittantur Conjugia, & à Votis solvantur Dicatae Deo Virgines, Ecclesia autem nihilominus foret invita ? quid, inquam, an & sic jure quasi devoluto Jurisdictionem Ecclesiasticam exercebit Princeps ? se tutos in Conscientiâ reputabunt illi, quæis aliud ille permeriter ? meo saltem Judio, *Exceptionem fori non Competentis*, salvo Principis respectu, æque prætendent hodie pii Christi Fideles, ac olim obmoverunt Cives Cptani, dum Carnes Tempore quadragesimæ Venales exposuit JUSTINIANUS. Alter omnino Lege HONORII & THEODOSII Impp. fanciū legimus : " omni innovatione cessante, Vetustatem & Canones " pristinos Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes " Illirici Provincias servari præcipimus, ut si quid dubieratis emerferit, " Conventui sacerdotali, sanctoque Judicio referetur. L. 1. Cod. Theod. de Ss. Eccles. Idipsum THEODORICUS Rex in Synodo Romanâ Anno 502. professus est, dum dixit nihil ad se, præter reverentiam, de Ecclesiasticis Negotiis pertinere. Eiusmodi Testimoniis, quod opponat R. P. HEDDERICH, nihil habet. Hinc meritò regerere eidem possumus, quod in simili ferè Causâ Imperator Christianus apud Fleury H. E. Tom. 12. L. 50. §. 17. Archiepiscopo Ravennatensi præsidium suum imploranti renuntiari jussit : *Vadat, & faſtu deposito Pontificis Voluntati ſe ſubmittat, cui & nos cum totâ Ecclesiâ ſubjicimur.* Mirum plane ! justissima summi Pontificis Protestatio, exitalis P. W. Vim & Valeorem necedum elicit, & unius Dynastæ refientia, ut Viro illi placet, ſilicet, hæ manus Trojam erigent.

*Hocis babet muros : ruit alto à Culmine Troja ;  
Diruta ſint aliis, uni mibi pergama reſtant.*

### §. X X V.

Dicām Po. AT, inquit R. P. HEDDERICH, ſaltem non foret Hæreticus, neſtitionem de que Schismaticus, qui defendevet, Dominum territorialem invi- fēndens eft tā Ecclesiā poſſe Subditis ſuis eſum Carnium permittere &c. Tranſeat : apertè Schis- Error nonniſi Hæresin, aut Schisma capit ? porrò quod quidem Hæ- maticus. resin hic concernit, definire meum non eſt : decidant illi, quæis ſum- mā fata aſſertio conflat invidiam, ſacratiſimi Epifcopi. Id adſtruere ausim,

ausim , apertè fore SCHISMATICUM . Hic Rhodus : hic salta PHILIPPE ! Schisma , Separatio est à Corpore Ecclesiae , orta ex Superbia membrorum , auctoritati ejus se submittere recusantium in articulis aëris unitatem conservandam necessariis ; Articulus autem ad dictam unitatem conservandam præprimis , ut nemo dubitat , necessarius est debita Subiectio erga Ecclesiae Prælatos , & visibile Caput Ecclesiae , Romanum Pontificem : sed qui defendit fas esse Domino territoriali , reluctante Ecclesiâ , tollere aut variare Legem Ecclesiasticam graviter & sub reatu Lethalis noxae obligantem , defendit etiam subtrahi posse pro libitu debitam Ecclesiae , & summo Pontifici Obedientiam ac Subjectionem : ergo &c. Inferat jam ipsemer , si placet , Conclusionem R. P. HEDDERICH ; sequitur illa evidenter ex præmissis . Pulchra sanè Protestantium Soboles , Viaque apertissima , ut rupto unitatis Vinculo ab Ecclesiae Romanæ Communione discedatur ! Non , inquam , hæc Vox PAULI est , sed JUSTINI FEBRONII , Sacerdotium collidens cum Imperio , & pernicioſas cuicunque demum Auctoritatem Sequelas involvens . Salva sint , per me licet , sua Imperio jura , sed & salva sint sua Sacerdotio . Si una ab alterâ , ut plenis Buccis crepant Sophistæ nostri , independens , summaque in suo Genere sit potestas , cur sacra profanæ constanter subiicitur , atque hæc quasi Domina longo Graduum intervallo , ita ceu annis præfertur , nudâ potestatis sacræ Voce relictâ ? Vix Crimen læsæ Majestatis effugeret , qui indirecta duntaxat in temporalia Regum ac Principum Auctoritatem Romano Pontifici tribueret , cum interim illis potestas in sacra , non indirecta solum , verum & directa pleno alveo affunditur ? quis nexus ? quæ Constantia ? profectò , si , qui assertam à R. P. HEDDERICH propositionem defenderet , Schismaticus non foret , facili ego negotio NOVATIANUM , DONATISTAS , PHOTIUM , à Schismate vindicare conabor . Sic unamcum sentire debebunt omnes , quocquot non ex pedibus , sed ex pennis pavonum pulchritudinem æstimare solent .

### §. XXVI.

**E**Quidem CYPRIANO Teste Epist. 52. ad Antonian. operæ pre-<sup>Atque ab</sup> tium non est , pluribus indagare , num Schismaticus sit etiam *Hæresis Sufficiens* , quia , ut inquit , extra Ecclesiam est . Attamen cum nullipacione sal- lum Schisma non aliquam sibi confingat Hæresin , ut rectè ab Ecclesiâ tem , aut per- recepisse videatur , XXVI. q. 3. C. 26. Hæreseos suspicio , aut periculo longo ricolum non longè aberit Casu , quo Lex aliqua Ecclesiastica co-intervalllo remittitur , & contumaciter infringitur . Quis enim hac agendi libi non distat.

et audacior factus, ipsam adeo Auctoritatem & Jurisdictionem summi Pontificis pernegare reformatidabit, inane primatus nomen in Cathedrâ Romanâ retineri facile tolerans, modò illi imperandi, ac regendi potestas in rebus ad sacra & Religionem pertinentibus eripiatur? *Averius*, ait *S. AUGUSTINUS L.* de Hærefib. C. 53, in *Arianam Hæresin Læpus propria Dogmata effluxit nonnulla, non esse solemniter celebranda statuta Ecclesiæ jejunia, sed cum quisque voluerit, jejunandum, ne videamur sub Lege.* Et nunquid ferendi Leges potestatem, exercitè negat Ecclesiæ, qui illas posse impunè negligi defendit? Anathema dicunt *Tridentini Patres Sess. 24. Can. 4.* ei, qui Ecclesiæ non potuisse constituere impedimenta matrimonium Dirimentia, vel in iis constitutis errâsse dixerit: an mitius fulmen vibrassent in eos, qui floccâ habità Ecclesiæ præcipientis Auctoritate, sacro Episcoporum Vertici, dejectis Sceptro infulis, Civiles Magistratus imponunt? Sufficit, qui Ecclesiæ non audierit, Hæretico pejor est, *Ethnicus & Publicanus*. Nam bæc si pertinaciter singula defendantur, tot Hæreses facere possunt, quot Opiniones esse numerantur. Quocirca considera, quām sit horrendum, ut omnes sint in uno homine, quæ damnables essent in singulis singula. Sed si tu pro eis nullâ Contentione pugnaveris, inò vero eas fideli- bus Verbis & Literis expugnaveris, laudabilior eris Censor in te ipsum, quām si quemlibet alium rectâ ratione reprobenderes, & mirabilior eorum Emendator, quām si nunquam illa sensisses. Adst Dominus tua menti, & tantam Spiritui tuo, Spiritu suo facilitatem Humilitatis, lucem Veritatis, dulcedinem charitatis, pacem pietatis infundat, ut Victor tui animi malis esse in Veris, quām cujuslibet Contradicentis in falsis. *S. AUGUSTINUS L.* 3. de anim. & ejus Origin. C. 15. Quantum enim apparet ex Donis ingenii, quæ tam tibi largitus est Deus, profecto sapiens eris, si te non esse credideris, atque ut sis, ab illo, qui facit Sapientes, piè, suppliciter, instanterque poposceris, & malueris errore non decipi, quām ERRANTIUM LAUDIBUS honorari. *S. Doctor ibidem C. 1.* Hæc pro Cautelá.



POSITIO-

## POSITIONES EX UNIVERSO JURE CANONICO.

- I. *Jus reformandi*, vi P. W. omnibus competit imperii Statibus. II. Tamē sit attendenda sit exceptio, ex possessione in *Anno Normali*. III. Simulta-  
neum innoxium P. W. non est adversum. IV. Neque eidem repugnat *jus*  
*transplantandi* Subditos, qui Anno Normali publico aut privato carebant  
Religionis Exercitio. V. Famosa *Clausula Art. IV. P. Ryswick*, in Locis à Rege Gal-  
liae restitutis, adhuc hodie Catholicis, actionem præbet. VI. Duo in Imperio Cor-  
pora, *Catholicorum* unum, *Protestantium* alterum, peculiari formâ, aliisque Cor-  
poris dotibus instructa, Leges Imperii ignorant. VII. Peculiaris igitur *Pacis W.*  
*Guarantia*, *Corpori*, sic dicto, *Evangelico*, temerè adstruitur. VIII. Neque ul-  
lam dictum Corpus potestatem aut Jurisdictionem in membra, seu Constatu scde-  
ratos prætendere potest. IX. Supremis Imperii Tribunalibus, per *Art. I. §. XI.*  
*Capit. Cæsar.* ademta non est facultas cognoscendi de Religionis Gravaminibus. X.  
*Jus intercedendi* in Causis Religionis, non *agendi*, cuivis permissum est. XI. *Jus*  
verò *Autodikæ* in iisdem Causis, *Art. 17. §. 6. P. W.* nullatenus conceditur. XII.  
Nudam facti possessionem, in bonis P. W. Sæcularisatis, Protestantibus permis-  
erunt pacientes Catholici. XIII. Unde si Bona Ecclesiastica per P. W. sæcularisata,  
& *Anno Normali* ab Acatolicis possessa, transferantur quoquomodo in Catholicum,  
vel præsens possessor ad avitam revertatur fidem, pristinis omnino usibus, ac pos-  
sessioni reddenda sunt. XIV. Lex *Amortizationis* justa est. XV. In Electionibus  
Episcoporum Germanie *exclusivam arbitriam* non exercet Imperator. XVI. No-  
bile Archicancellarii officium Sede Moguntinâ vacante, non *Saxoni*, non *Tre-  
virensi*, neque Electori *Coloniensi*, sed Capitulo Moguntino competit. XVII. Sal-  
vis Metropolitæ juribus, Cur Episcopo de Ecclesiâ benè merito, *Pallium* concedere  
non possit S. Pontifex? non videtur. XVIII. Constitutiones dogmaticæ Placeto Re-  
gio nequaquam subsum. XIX. Bullæ disciplinare semel in aliquo Regno receptæ,  
& longo usu frequentatae, einde, quod postmodum displiceant, sine Confensu  
Ecclesiæ, aut S. Pontificis abrogari non possunt. XX. Bona Ecclesiastica, nisi  
subsit justa Causa, & certæ concurrent Solemnitates, alienari nequeunt. XXI. Ea-  
dem fine manifesta injunctiæ in alios Reipublicæ usus converti non possunt. XXII.  
Feuda Ecclesiastica, omnia esse oblata, nullo ex Capite evincitur. XXIII. *Felonia*  
Prælati Ecclesiæ nocere non debet. XXIV. Præbendaæ *Canoissarum* in Germaniæ  
veri nominis Beneficia Ecclesiastica non sunt, adeoque turò emi, & vendi possunt.  
XXV. Ss. Canones Regularibus nullibi admittunt jus ad Curam animarum, in Eccle-  
siis quoque sacerdotaliis, sub nomine *Commendatariorum* exercendam. XXVI. Ca-  
pitula Germaniæ Sede vacante conferre nequeunt Beneficia, Episcopo privativè  
Vacantia, aut ad illum deyoluta. XXVII. Beneficiati præsertim curati, etiam Epis-

copi Germaniae, in Loco Beneficii residere tenentur, jure non solum Ecclesiastico, sed & Divino Naturali. XXVIII. Bonorum beneficialium non Domini, sed Dispensatores sunt. XXIX. Beneficium Vi unionis cum Beneficio libero juri Patronatus subductum, unione solutâ ad idem non reddit. XXX. Præsentiam Parochi, duorumque vel trium Testium, ad Probationem duntaxat, non ad Substantiam Testamenti, requirunt Ss. Canones. XXXI. Religiosus professus transiens ad aliam Religionem, etiam in Imperio toleratam, non recuperat bona, quæs Voto renun-  
tiavit. XXXII. Neque ejus liberi contra Renuntiationem Parentis habent Hæreditatem, vel Successionem in feudo capessendam. XXXIII. Clericus in Causâ civili coram Judge Laico rectè reconvenitur. XXXIV. S. Cyprianus Dogma de rebapti-  
zandis Hæreticis, quod cum Episcopis Africanis defendit, ad fidem pertinere non  
credidit. XXXV. Nominé Concilii Plenarii, in quo quæstionem de Baptismo Hæ-  
reticorum finitam sèpè scribit S. Augustinus, Nicenum intelligitur. XXXVI. Dia-  
conis olim Absolutionis Sacramentalis, lapsis impendendæ, concessam fuisse potes-  
tatem, ex S. Cypriano nusquam colligitur. XXXVII. Cujusvis peccati mortalis reos  
nunquam publicæ Pcenitentia addixit Ecclesia. XXXVIII. Imo peccata, etiam Ca-  
nonica, Occulta tamen, simili Pcenitentia fuisse obnoxia, negamus. XXXIX. Ma-  
trimonium in infidelitate contractum, etiam consummatum, dirimi potest quò ad  
Vineulum, quando altero in infidelitate permanente, alter Conjugum ad veram fi-  
dem convertitur. XXXX. Statuere impedimenta dirimentia circa matrimonia fide-  
lium sibi Subditorum, Principes sacerdotes haud possunt. XXXXI. Impedimentis  
matrimonii ab Ecclesiâ statutis Heterodoxi æque, ac Catholici stringuntur. XXXXII.  
Abstinencia à Carnibus, jejunii Ecclesiastici pars semper fuit, & apud veteres Chris-  
tianos Diebus Esorialibus publicâ Lege præcepta. XXXXIII. Quatuor Temporum  
jejunia quinto Saeculo paßim observata fuisse, certum est. XXXXIV. Jusſa exposcente  
Causâ, validè ac lícite Romanus Pontifex ex Supremi sui in Ecclesiâ principatus Au-  
thoritate, Canonum Vincula solvit, illos vel abrogando, vel dispensando. XXXXV.  
Perperam Ecclesiæ nostræ denegatur potestas, penas etiam Corporis afflictivas de-  
cernendi. XXXXVI. Usura merè lucratoria, omni jure naturali, & positivo prohi-  
bita est. XXXXVII. Hanc apertè sapit pæctum Legis Commissoriæ mutuò adjectum.

## POSITIONES BIBLICÆ EX N. T. LIBRIS SELECTÆ.

**H**eroes M. sub cuius regimine conceptus, & natus est Joannes B. Origine Idumeus, non Judæus erat. 2. Zabarias Joannis Pater, simplicis dun-  
taxat Sacerdotii Gradu gaudebat. 3. Diffidens hic Verbis Angeli, venia-  
lis meritò Culpæ arguitur. 4. Joannem verè sanctificatum fuisse in utero  
Matris, nullibi negavit S. Augustinus. 5. Virgo Deipara, Tempore, quo incarna-  
tionis

tions Mysterium ab Angelo intellexit, non obstante Virginitatis Voto, vero Conjugii  
 Vinculo adstricta fuit D. Iosepho. 6. Ex L. I. N. 31. triplex, Manichæi, scilicet,  
 Valentini, ac Nestorii error profligatur. 7. Vaticinium Isaiae C. VII. 14. Recte  
 & in vero Sensu à Spiritu sancto intento allegat S. Matheus C. I. 23. 8. Optimè  
 quamlibet haecenùs circa Christi Genealogiam, Difficultatem sustulit Hypothesis, ad-  
 struens Iosephum & Mariam Patruelæ simul & Consobrinos, descendentes à Davi-  
 de per Salomonem ex parte Patrum, per Nathan ex parte Matrum, ita ut Iosep-  
 fuerit Filius naturalis, Jacobi quidem immediatus, Heli verò ex parte Matris, me-  
 diatus. 9. Natus est Christus Anno Imperii Octav. Augus. 40, Anno Juliano 41,  
 U. C. 749, Olympiadis 193 Anno 4, Cæs. Augus. 12, & L. Cornelio Sylla Coss.  
 quadriennio integro ante æram vulgarem. 10. Magos verosimilius ex Arabiâ felici  
 ad Christi Cunas advocabamus. 11. Stella nonnisi nato Servatore illis apparuit. Fixa  
 non fuit, neque ex errantium numero, sed temporanea, quæ munere suo functa, illi-  
 cò disparuit. 12. Infantes ab Herode occisos ceu veri nominis Martyres suspicimus.  
 13. Baptismus Joannis per totius Corporis immersionem siebar, aliis per infusionem  
 aut aspergionem Baptismis, eo tempore incognitis. 14. Idem Joannis Baptismus,  
 multiplici ex Capite à Christi Baptismate distinctus fuit. 15. Spiritus S. in Corpore  
 duntaxat aereo, in Columba Similitudinem efformato, super Christum baptizatum  
 descendit. 16. Nathanael Joan. I. 45. idem videtur esse cum Bartholomeo. 17. Spon-  
 sum in Nuptiis Canæ fuille Joannem Evangelist. obscurum figmentum est. 18. Ver-  
 ba Judæorum J. II. 20. quadraginta & sex annis &c. de Templo per Herodem restau-  
 rato verificantur. 19. Praeter Herodiana Vincula, alia à synedrio seu propriâ, seu  
 communicata potestate, Joanni B. injecta, non agnoscamus. 20. Marcus C. V. 23.  
 non contradicit Marthæ, qui C. IX. 18. refert Iairum dixisse: *Filia mea defuncta est.*  
 21. Dies festus Judæorum J. V. 1. nobis alias non est, quam Paschalis. 22.  
 Sabbathum secundò primum L. VI. i. verosimilius illud erat, quod infra Pentecosten  
 occurrebat. 23. Mulierem peccatricem, quæ L. VII. 38. unxit Dominum, à Mariâ  
 Magdalend, Sorore Marthæ & Lazari, minimè secerimus. 24. Unctio olei ab Apos-  
 tolis Mar. VI. 13. infirmis exhibita, Typus Sacramenti, non ipsum extremæ Unctio-  
 nis Sacramentum fuit. 25. Christus M. XVI. 18. dicens: *Tu es Petrus, & super hanc*  
*Petram &c pronomen: hanc retulit ad Petrum.* Proin Petra à Petro non distinguitur.  
 26. Mons, in quo transfiguratus est Christus, Tabor regissimè creditur. 27. Utrum  
 anima Moysis ibidem apparuerit in proprio, an alieno Corpore, problema esto. 28.  
 Quod de divite & pulone narratur L. XVI. parabola est Historiæ permixta. 29. Ver-  
 ba Christi M. XIX. 8. Moyses ad duritiam &c. supponunt Libellum repudiū dissoluisse  
 Matrimonium quò ad Vinculum. 30. Christus triumphabundus ingrediens Ierosoly-  
 mam, utroque successivè jumento, pullo & Asinâ vetus fuit. 31. Christum Anno  
 Vitæ suæ ultimo Pascha legale celebrasse, quisquis negat, manifestis Evangelistarum  
 Testimonij contradicit. 32. Etiam Jude Proditor porrectam fuisse Eucharistiam,

non ambigimus. 33. Quod de Confortatione Angelicâ, & Sudore Christi sanguineo  
referri *S. Lucas C. XXII.* 43. totum Canonicum eit. 34. Laborem solis, quo sole  
Justitia laborante laboravit, in ejusdem Ecclipsin refundimus. 35. Tenebrae hac  
occasione indueræ totum occupârunt Hæmiphærium. 36. Sancti *M. XXVII.* 52.  
ad Vitam solum mortalem surrexerunt, generalem cum aliis Resurrectionem præsto-  
lantes. 37. *S. Joannem Evangelist.* à communi mortis Legi exemptum fuisse, Com-  
mentarium habemus. 38. Ufus Sortium in Electionibus, exemplo Electionis *S. Ma-  
thiae Act. I.* 26. adstrui non potest. 39. Non ad vulgaris & profanæ, sed ad sacræ  
mensæ Ministerium *C. VI* 6. electi fuere septem Diaconi. 40. Lege abstinentia à  
*Sanguine & Suffocato*, non amplius tenentur Christiani. 41. *Nicolaus* unus è sep-  
tem Diaconis, Author non fuit Hæresis Nicolaitarum. 42. *S. Paulum* profectum  
fuisse in Hispanias, ibique fundasse Ecclesiam, Traditio disertè probat. At junc-  
tum fuisse Matrimonio, nunquam probabunt Sectarii. 43. *Anathema Rom. IX. 3.*  
pro æternâ Separatione nequaquam supponit. 44. *Baptismus pro mortuis I. Cor.*  
*XV. 29.* sumitur metaphorice pro Pœnitentia operibus. 45. *S. Petrus Gal. II.*  
11. verè reprehensibilis erat, nec simulat, sed verè reprehensus fuit à Paulo.

## Q U A S

SUB PRÆSIDIO AUTHORIS  
PUBLICO TENTAMINI EXONENT  
IN AULA PUBLICA GYMNASII AQUISGRANENSIS

RELIGIOSI ORDINIS MINORUM SACERDOTES,

F. LUCIANUS LIMPERICH.

F. HYACINTHUS RÜSSEL.

F. ANSELMUS LAAS.

NEC NON ORNATISSIMUS, ac PERERUDITUS DOMINUS

D. THOMAS VLIEX, ex Schin ad Golam.

S. SCRIPTURÆ AUDITORES.

Die XI. Septembris 1782. manè ab octavâ ad decimam.

O. A. M. D. G.

Kr 3497

(x225 8755)

vD18

WPA

MM



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Farbkarte #13

V E T U S  
CIRCA JEJUNIUM  
ECCLESIAE DISCIPLINA  
DISSERTATIONE  
HISTORICO - JURIDICA  
A  
PARADOXIS RECENTIORIS CUJUSDAM JCTI  
COMMENTIS VINDICATA.  
Q U A M  
UNA CUM SELECTIS EX UNIVERSO JURE  
ECCLESIASTICO POSITIONIBUS  
P R A E S I D E  
F. POLYCHRONIO GASSMANN,  
ORD. FFM. MIN. S. FRANC. RECOLLECT. S. SCRIPTURÆ  
ET SS. CANONUM LECTORE  
P U B L I C E P R O P U G N A B U N T  
RELIGIOSI EJUSDEM ORDINIS SACERDOTES,  
F. JUNIPERUS ARNZ.  
F. LUCIANUS LIMPERICH.  
V E C N O N P R Ä N O B I L E S , O R N A T I S S I M I , ac P E R E R U D I T I  
D. GERARDUS KLEIN, Porcetanus.  
D. SERVATIUS HUNGS, Aquisgranensis.  
TRISECCLESIASTICPUBLICI, & SS. CANONUM AUDITORES.  
QUISGRANI IN AÜLA ACADEMICA GYMNASII MARIANÆ  
Horis à Meridie Confuetis  
ANNO MDCCCLXXXII. DIE XI. SEPTEMBRIS.  
Coloniae, typis Joannis Josephi Rüttgers sub Semilunio propè PP. Praedicatorum,